

Cluten, Joachim

De Haereticis, an sint persequendi

Argentoratum 1610

J.can.p. 224

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10544618-1

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Daten systemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

✓ Can. P.

224

Clubs

DE
HAERETICIS,
AN SINT PERSEQUEN-
DI, ET OMNINO QUOMO-
do sit cum eis agendum, multorum
tum veterum, tum recentio-
rum sententiæ.

LIBER HOC TAM
TURBULENTO TEMPORE PER-
NECESSARIUS, ET CVM OMNI-
bus, tum potissimum Principibus & Magistra-
tibus utilissimus, ad discendum, quod nam
sit eorum in re tam controversa,
tamq̄ periculosa, offi-
cium.

Quænam hoc libro cõtineantur, ter-
tia pagella monstrabit.

RECENSUIT

IOACHIMUS CLÛTEN
Megapolitanus.

ARGENTORATI,

Typis Joannis Caroli Typogr.

ANNO M. DC. X.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONTAENENSIS

3.
C O N T E N T A L I B R I .

Martini Bellij Præfatio, in qua quid sit hæreticus, & quidnam cum eo agendum sit, demonstratur.

**S E N T E N T I A E V E T E R V M E T
R E C E N T I O R U M .**

Martini Lutheri in qua apertè ostenditur, hæreticorum punitionem ad magistratum non pertinere.

Ioannis Brentij de Anabaptistis, & cæteris qui hæretici habentur, sententia, quæ idem docet. 49

Desiderij Erasmi Roterodami sententia; in supputat. Err. Bedæ; & in Respõsione de Inquisitione. 8

Augustini Eleutherij ex libro de hæreticis sententia non esse temerè habendos pro hæreticis, quos mundus habeat pro hæreticis. 102

L. Cælij Lactantij sententia ex lib. 5. Divinarum Institutionum adversus gentes c. 20.

Ioannis Calvinii in præfatione in Acta Apostolorum ad Daniae Regem, & in prima Institutione c. 2.

Othonis Brunfelsii in Pandectis.

Conradi Pellicani in Commentario in Matth. c. 13. in parabola Zizaniorum.

Urbani Regij in locis Theologicis, in fin. cap. de Hæreticis. A ij

Augustini contra Cresconium Grammaticum
lib. 3. Ex ijs quæ de fide & operibus scripsit
cap. 5. Ex epistola 158. & 159. ad Marcellinum
Ex epistola 150. ad Apringium. Ex libro
Quæstionū Evangelii secundum Matt.
c. 12. Ex libro contra Epistolam Manichæi,
quam vocat fundamenti c. 1.

Chrysostomi Homilia 47. in caput Matthæi 13.
Homilia 8. in cap. 1. Genes. & ex Homilia de
nomine Abrahami.

Hieronymi in Matthæum, citante Barth. V Vest-
hemero.

Cælij Secundi Curionis in Antonium Florebellum.
Sebastiani Castalionis in præfatione Bibliorum
ad Regem Angliæ.

Georgij Kleinbergij sententia, Quantum orbi no-
ceant persecutiones. 147

Basilij Montfortij refutatio eorum quæ pro per-
secutione dici solent. 153

EPISTOLAE ALIQVOT GER-
RARDI NOVIOMAGI, DE
re Evangelica, & Hæretico-
rum pœnis. 209

Ad Carolum V. Imp. Cæs. August.

Ad Germaniæ Princip. in cōventu Spirēsi.

Ad Carolum, Geldriorum Ducem.

Ad Philippum, Hessorum Principem.

MARTI



S.
MARTINUS BELLI-
US CHRISTOPHORO
Duci VVirtembergensi
S.

Itu, Princeps Illustrissime, pradi-
xisses tuis subditis, te ad eos incer-
totempore venturū, iussissesq; ut
vestes albas sibi omnes pararent,
& tibi, quocunque tempore venires, obviam
candidati prodiret: quid faceres, si postea ve-
niens, invenires eos de vestibus albis nihil cu-
rassse, sed inter sese de te tantūm disceptare, ut
alij dicerent, te in Gallia esse, alij in Hispani-
am profectum: alij venturum in equo, alij in
curru: alij magna cum pompa, alij nullo comi-
tatu? Placeret ne tibi res? Quid si non so-
lum verbis, sed etiam pugnis & gladiis ea de
re cōtenderent, & alij alios à se dissentientes
vulnerarent, aut occiderent? Vehetur equo,
diceret aliquis: imò curru, diceret alius. Men-
tiris. Imò tu mentiris, ergo accipe pugnum.

gnum. At tu pugionem hunc in ventrem tu-
 um admitte. Probarésne, ó Princeps, tales ci-
 ves? Quid si pauci inter eos vestes albas sibi
 (quemadmodum tu iussisses) cōparare stude-
 rent, & alij eos propterea vexarent, aut neca-
 rent? Nōne tu malos malè perderes? Quid
 verò, si homicida illi id se tuo iussu & nomine
 facere dicerēt, cum tu id acerrimè vetuisses?
 Nōne tu id longè atrocissimum, & sine ulla
 misericordia vindicandum iudicares? Hæc
 quorsum à me dicantur, quæ sote Princeps, ut
 benignè audias. Est Christus princeps mun-
 di: & à terris discedens, hominibus prædixit,
 se se venturum incerto die & hora: mādavit,
 ut vestes candidas sibi in eius adventum pa-
 rarent: hoc est, ut piè & amicè sine contentio-
 nibus viverent, & alij alios diligerent. Nunc
 perpendamus quæso, quàm bellè officio funga-
 mur. De comparanda veste candida quotus-
 quisque est sollicitus? Quis in id omni cura in-
 cumbit, ut sanctè, ut iustè, ut piè vivat in hoc
 seculo, expectans adventum beati Dei? Nihil
 minus curatur, vera pietas & charitas iacet
 atque friget: vita nostra traducitur in con-
 tentionibus & omni genere vitiorum. Dispu-
 tatur

tatur non de via, qua ad Christū veniri possit, hoc est, de vitæ correctione: sed de ipsius Christi statu & officio, ubinam nunc sit ipse Christus, quid agat, quomodo sedeat ad dextram patris, quomodo sit unum cū patre. Item de trinitate, de prædestinatione, de libero arbitrio, de Deo, de angelis, de statu animarum post hanc vitam, & cæteris huiusmodi rebus: quæ neque ad salutem per fidem obtinendam usque adeò cognita necessaria sunt (siquidem sine earum cognitione salvi facti sunt publicani & meretrices) neque cognosci possunt antequam cor mundum habeamus (siquidem illa videre, est Deum ipsum videre, qui sine mūdo corde videri non potest, iuxta illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt) neque si sciantur, reddunt hominē meliorem, cum dixerit Paulus: Si sciam omnia mysteria, & charitatem non habeam, nihil sum. Hac præpostera hominum cura cū est per vitiosa, tum parit alia etiam maiora mala. Hac enim vel scientia, vel scientiæ opinione falsa inflati homines, alios præ se superbe despiciunt: quæ superbiam sequitur deinde sevitia, & persecutio, ut iam nemo ferè alium, ulla in re à se.

discrepantem ferre possit. Cumq̄ non plures
 ferè sint hodiè homines quã sententia, tamen
 nulla ferè secta est, que non alias omnes da-
 mnet, & sibi soli regnũ vendicet. Hinc exilia,
 hinc vincula, hinc ignes & cruces, & misera-
 cilis quotidianorum suppliciorum facies, ob
 invisas potentioribus opiniones de rebus ad-
 hac ignotis, & inter homines per tot iam se-
 cula disputatis, nec dum tamen certò cõclusis.
 Quòd si quis inter ea existit, qui vestem albam
 sibi parare, hoc est, innocenter vivere studeat:
 in hunc, si qua in re ab alijs dissentiat, omnes
 uno consensu feruntur, hunc accusant, hunc
 hereticum sine ulla dubitatione pronunciant
 quasi suis operibus iustificari velit, & ei hor-
 rendã et nunquã cogitata crimina falsò im-
 pingunt, eumq̄ adeò calumniis in vulgus de-
 nigrant & deformant, ut homines eum audi-
 re piaculum putent. Hinc plusquam ferina il-
 la rabies sevirendi, ut videas quosdam huius-
 modi calumniis inflammatos furere, si quem
 videant strangulari, ac non vivũ lenta flam-
 ma torreri. Cumq̄ hæc sint immaniissima, ac-
 cedit omnium capitalissimũ peccatum, quod
 hæc omnia Christi veste tegũt, & se in his eius
 voluntati

volūtatī in servire profitentur, cum nihil possit sathan ipse excogitare, quod cum Christi natura & voluntate magis pugnet. Interea qui hereticis (ut aiunt) adeo sunt infesti, iidem tantum abest ut improbos oderint, ut non dubitent cum avaris suaviter vivere, assentatores fovere, invidos ferre, calumniatores alere, cum ebriosis & ganeonibus, et adulteris ridere, & cum scurris & impostoribus, & huiusmodi Deo invisis capitibus suaviter epulari, & quotidianam vitam agere: quae cum ita sint, quis dubitet eos non vitia sed virtutes odisse? Est enim eiusdem odisse bonum cuius est amare malum: ut si videas alicui charos esse improbos, nō debeas dubitare, quin eidem invisī sint boni. Quae te, Princeps illustrissime, quid Christū, cum venerit, facturum putas? haecine laudaturū & rata habiturū? Sic mihi rem perpende. Finge aliquē accusari ab aliis Tubingae, qui sic de te praedicet: Ego credo Christophorū esse principē meū, eiq; in omnibus obedire volo. Sed quod vos dicitis venturū esse in curru, hoc ego non credo, sed credo venturum in equo. Item quod dicitis esse vestitum rubro, ego non credo, sed albo vestitum credo:

& quod iussit nos in hoc fluvio lavare, credo
 id faciendum esse post meridiem, vos ante me-
 ridiem. Si putarem eum velle, ut ante meridi-
 em lavarem, facerem: sed metuo ne eum of-
 fendam: itaque volo facere secundum consci-
 entiam meam. Quaeso te, Princeps, velle sine
 eiusmodi, civem tuum damnari? Non arbi-
 tror: & si tu adesses, laudares magis homi-
 nis simplicitatem & obedientiam, quam damna-
 res ignorantiam: & si alii hominem interfice-
 rent, profecto tu in eos animadverteres. Item
 sic rem accipe: Est aliquis Christi civis, qui de
 eo sic predicat: Ego credo in Deum patrem, &
 in Iesum Christum eius filium, & secundum
 eius praecepta quae sunt in sacris literis, volo
 vivere. Sed quod iussit sumere corpus & san-
 guinem suum, id ego credo faciendum esse sub
 utraque specie. Aut quod iussit nos baptizari,
 id ego credo faciendum esse octavo die à nati-
 vitate, quoniam ita fiebat in circumcisione.
 Putasne huiusmodi hominem interfici propte-
 rea debere? Non arbitror. Quid si ita dicat
 Credo hominem non ante baptizari debere,
 quam possit fidei suae reddere rationem: si ali-
 ter crederem, aliter facere vellem, quoniam

non esset mihi difficilius baptizare infantem,
 quàm puerum, aut adolescentem. Sed non au-
 deo violare conscientiam meam, ne Christum
 offendam, qui per Paulum servum suum ve-
 tuit, me quicquam facere, de quo dubitem, an
 rectum sit. Oportet enim me mea fide servari,
 non aliena. Quaeso te, si Christus ipse iudex
 adesset, iuberetne hunc hominẽ occidi? Non
 arbitror, si Christi vitam & naturam tibi ob-
 oculos proponas: quippe qui tale nihil neque
 iusserit unquam, neque fecerit, sed planè con-
 trarium. Atqui si Christus ipse non faceret,
 non debent alij facere, qui aliquam ab eo po-
 testatem habent, ne fortè eis tandem meritò
 obijciatur, quod est in proverbio: Servus es
 diaboli, plus fecisti quàm tibi imperatum fu-
 it, vel potius, fecisti contrà quàm tibi impera-
 tum fuit. Si enim Deus tam acerbè punivit
 Saulum, quia non occidisset, quem Deus occi-
 di iusserat: quãto acerbius puniet eos, qui oc-
 ciderint, quos Deus occidi vetuit? presertim
 cum sit ipse multis partibus ad misericordiam
 propensior quàm ad iram. Ac quod de baptismo
 dixi, idem intelligi volo de alijs controversiæ
 religionis locis, ubi quis in Deum & in eius fi-
 lium

lium Christum credens, & ei secundum suam conscientiam serviens, alicubi ignoranter errat, aut nobis videtur errare. Equidem dum considero Christi mores & doctrinam, qui cum innocens esset, nocentibus semper veniam dedit, dariq; vel septuagies septies iusserit: non video quomodo Christiani nomen tueri possimus, nisi eius clementiam imitemur. Quod si insontes essemus, tamen eum imitari deberemus: quanto magis, cum simus tot peccatis cooperti? Equidem cum me ipsum examino, video mea peccata esse tot et tanta, ut non putem me à Deo veniam impetrare posse, si sim ad dānandos alios paratus. Examine se ipsum quisque, excutiat & rimetur acriter suam conscientiam, & sua cogitata, dicta, facta omnia severè trutinat: videbit se esse talem, ut facile intelligat, se non posse festucam ex oculo sui fratris eruere, antequam trabem ex suo eruerit. Itaque consultum fuerit, ut in tanta multitudine peccatorū, quibus omnes obruimur, ad se quisq; redeat, & de corrigenda vita sua, non de aliis damnandis, sit sollicitus.

Hec iudicandi licentia, quæ hodiè grassatur, & replet omnia sanguine, impulit me,
 Princeps

*Princeps illustrissime, ut sanguinem pro virili
 sistere conarer: presertim eum, in quo funderen-
 do peccari potest videlicet eorum qui vocan-
 tur heretici. quod nomen hodiè adeò infame,
 adeò detestabile, adeò atrum factum est, ut si
 quis inimicum suum velit interfici, nullã ex-
 peditiorem viam habeat, quàm ut eum here-
 seos accuset. Simulac enim nomen hoc audi-
 verunt homines, hominem adeò hoc solo nomi-
 ne detestantur, ut obtusis ad eius defensionem
 auribus, nò solum ipsum, sed etiam omnes qui
 pro eo hiscere audeat, furiosè et effrenatè per-
 sequantur. Quæ rabie fit, ut multi è medio tol-
 lantur, ante quàm eorũ causa sit verè cogni-
 ta. Neque verò hæc ideo dico, quòd hereticis
 faveam. Odi ego hereticos: sed video hic duo
 maxima pericula. Primum, ne quis pro here-
 tico habeatur, qui nò sit hereticus: quod cum
 hæctenus accidit (nam & ipse Christus, &
 sui, pro hereticis interfecti fuerunt) est non le-
 vis causa, cur hoc nostro seculo (quod certè ni-
 hilo sanctius est illo, ne dicam sceleratius) me-
 tuendum sit ne idem accidat: presertim cum
 dixerit Christus, Non veni mittere pacem, sed
 gladium. Veni enim ponere dissidium inter
 patrem*

patrem & filium, matrem & filiam, &c. Vi-
des quàm facile sit calumniatoribus, dicere
de Christiano: Hic homo seditiosus est, ponit
dissidium inter patrem & filium, & publicam
concordiam dissipat. Itaque magna utendum
est prudentia, ut verè seditiosi à Christianis
discernantur, cum utrique (si exteriora spe-
ctes) idem faciant, & eodem in crimine ab ijs
qui rem non intelligunt, poni soleant, ut Chri-
stus inter latrones crucifigatur.

Alterum periculum est, ne si quis verè sit
hereticus, is gravius, aut aliter puniatur, quàm
postulet Christiana disciplina.

Hisce de causis ego collegi in hunc librum
sententias multorū, qui hac de re scripserunt,
ut perpensis eorum rationibus, minus in hoc
iudicio deinceps peccetur. Collegi autem pri-
mū quorundam recentiorum sentētias, tum
quia ipsi veterum sententias citant, ut in re-
centioribus utrosque multis in locis habeas:
tum quia hoc argumentum fusius & accura-
tius tractaverunt, & ad nostrum tempus ac-
commodatè scripserunt, docti videlicet ipsis
persecutionibus. Antiqui enim potissimum in
gentiles scribebant, quoniam ferè non nisi ab
illis

illis persecutionem patiebantur, durante ad-
 huc Christi & Apostolorum imitatione, qui ne-
 minem persecuti, sed ab omnibus persecutionem
 passifuerant. Sed postea crescentibus peccatis,
 cum gentiles persequi Christianos desissent,
 ipsimet Christiani in Christianos manus ver-
 terunt, praesertim si quem viderunt veritatis
 paulo rigidiorum defensorum: cuius si mores re-
 prehendere nequirent, at doctrinam quidem
 (de qua iudicare vulgus hominum non itidem
 potest, ut de moribus) aliqua arte cavillari pos-
 sent. Sic enim comparatum est, ut omnes pii
 persecutionem patiantur: tametsi non omnes
 qui persecutionem patiuntur, pii sunt. Hoc
 videm coperies, semper pietatis comites fu-
 isse persecutiones: & cessante pietate, cessasse
 persecutiones. Nam antiqua ecclesia, quam-
 diu pietatem retinuit, persecutionibus obnoxia
 fuit. Ea quae deinde secuta est, cum omnibus
 in unius tyranni arbitrium redactis, colere-
 tur tranquille diabolus, nemine ei adversan-
 te, caruit persecutionibus. Quod si nulli pii no-
 stro tempore extitissent nulla persecutiones fuif-
 sent. Cur enim persequatur Satan servos su-
 os? Sed ex ortis pijs, exorti sunt etiam qui pios
 vexarente

vexarent: quæ res piorum ingenia acuit, ef-
 fecitq; ut vexatione dante intellectũ, in perse-
 cutionẽ multa benè & verè scripserint. Quòd
 si qui tamen etiam eorum qui hic à me cita-
 buntur, alibi, aut postea, aliter vel scripserũt
 aut fecerunt, vel scripturi aut facturi sunt,
 teneamus primam sententiam, quæ & in tem-
 pore tribulationis (quo tempore maximè ve-
 rascribi solent) scripta fuerit, & cum Christi
 benignitate maximè cõgruit. Aliud Evange-
 lium si quis prædicaverit, etiamsi ipsimet, aut
 angelus de cælo faciat, anathema sit. Fit enim
 plerunq; ut homines, cum primùm ad Evan-
 gelium, vexati & calamitosi appulerint, ve-
 rè de rebus sentiant: propterea quòd veritatis
 Christi calamitosi, maximè capax est calami-
 tas, ijdem postea rebus secundis elati, & poten-
 tiam adepti, degenerent: & qui antea Chri-
 stum defenderunt, ijdem Martem defendant,
 & in violentia pietatem collocent. Itaq; nul-
 lis in hac re tutius creditur, quàm calamito-
 sis, & qui vix habent ubi caput reclinent. Igi-
 tur huiusmodi auctorum, non omnium, sed
 multorum sententias collegi, & tibi ut mitte-
 rem, Príncipe Christophore, multis de causis
 adductus

adductus sum. Primum, quod audio te Evan-
gelio semper favisse, & in eo etiam in medijs
calamitatibus (quæ hominum animos maxi-
mè explorare & patefacere solent) perseve-
rasse. Testatur id tua fidei confessio, quam so-
lus ex Germania principibus ad proxima co-
mitia misisti: quare facile ostendisti, eum esse
te, qui lucē non fugias, sed fidem religionemq̃
tuam toti orbi esse velis cognitam. Deinde
quod, cum sis potens & auctoritatis præcipua,
expedit in primis hanc rem esse tibi notam, ut
& ipse tuis iustè & sine ulla iniquitate impe-
res: et aliis vicinis principibus, præsertim Gal-
lie regi, idem ut faciant persuadeas, si ulla ra-
tione fieri possit, quo possit Christiana reipubl̃
cæ status (qui tot iam annis tam miserè lace-
ratur) in tranquilliorē statum redigi, & po-
puli ad vitæ correctionem vocari, si fortè De-
us iram suam (qua in genus hominum inflam-
matus est) avertere velit, et nos sui vultus lu-
mine illuminare. Postremò, quod in his auto-
ritatibus est et doct̃oris tui Ioānis Brentij sen-
tentia, quam postquam primū in lucem emi-
sit, multum de persecutionum crudelitate (si-
cuti audio) diminutum est, longe q̃ pauciores

deinceps sunt interfecti: tantum virium habuit unius hominis bene sentientis, etiam in tanta temporum improbitate, sententia. Euge Ioannes Brenti, perge & cresce ut Christianum decet, in ista Christiana benignitate: multorum tu sanguinem tātulo libello stitisti: quo factō, nihil neque Christo gratius, neque Satana ingratus facere potuisti. Quod utinam ceteri idem fecissent: ac non tantum in hauriendo, quantum tu in cohibendo sanguine, laborassent. Ne nos haud tam multos ferales ignes, & insonti sanguine cruentos enses vidissemus: neque nunc pastos sanguine eorum, pro quibus Christus suum profudit, pisces comederemus. O Principes, aperite oculos, et ne tam parvi facite sanguinem humanum, ut eum tā facile effundatis, praesertim in causa religionis. Qui enim iudicium sine misericordia fecerit, eadem mensura rependetur ei.

Ceterum quoniam in his sententiis nō quid sit hereticus (quod tamen primum omnium sciri cōvenit) sed quomodo tractandus sit hereticus, demonstratur: ego paucis, ex sacris literis, quid sit hereticus explicabo: ut melius videri possit, de quo nam hominum genere hic agatur.

agatur. Neque enim hereticos arbitror esse,
 quicumque vocantur heretici: & video nomē
 hoc Pauli tempore nō ita fuisse infame, ut de-
 teriores putarentur heretici quā avari, aut
 hypocritæ aut scurræ, aut assentatores: cum
 tamen hodiē propter avaritiam aut hypochri-
 sim, aut scurrilitatem, aut assentationem (de
 quibus iudicari sæpē facile potest) nemo occi-
 datur: propter hæresim autē (de qua iudicare
 nō ita facile est) tam multi occiduntur. Equi-
 dem cum quid sit hereticus, sæpē quaesiverim,
 nihil aliud deprehendi, nisi hereticum habe-
 ri, quisquis à nobis dissentit: id quod ex eo pa-
 tet, quod omnium sectarum (quæ sunt hodiē
 innumera) nulla ferè est quæ non alios pro hæ-
 reticis habeat: ut si in hac urbe aut regione sis
 orthodoxus, in proxima habearis hereticus. ut
 si quis hodiē vivere velit, necesse habeat tot
 fides & religiones habere, quot ferè sunt civi-
 tates, aut sectæ. quemadmodum terras perā-
 granti moneta subinde mutanda est, quo-
 niam quæ hic bona est, illis locum non habet,
 nisi sit aurea: hæc enim, quacunque forma sit,
 bona est. Sit nobis in religione, aliqua aurea
 moneta, quæ ubique locum habeat, quacunque

sit eius figura. Credere in Deum patrem, & filium, & spiritum sanctum: & pietatis precepta, que sunt in sanctis scripturis, approbare: est aurea moneta, et auro ipso probatior & exploratior, sed habet haecenus haec moneta diversas imagines, dum homines inter se de cæna, de baptismo, & cæteris huiusmodi rebus dissentiunt. Feramus alij alios, & ne continuo alterius fidem in Christo fundatam damnemus. Atque ut ad rem tandem veniam, ne hereticum ex vulgi opinione, sed ex sacris literis iudicemus: quid sit hereticus, sic eliciamus.

Hereticus semel nominatur in sacris literis, in epistola ad Titum, cap. 3. Hereticum hominem post unam & alteram admonitionem de vita, sciens eiusmodi hominem esse peruersum, & ita peccare, ut ipse a seipso damnetur. Hunc locum si conferemus cum Christi precepto Matth. 18. intelligemus quid sit hereticus: Si peccaverit in te frater tuus, i & reprehende eum inter te ipsum: Si & te audierit, lucratus es fratrem tuum: si vero non audierit, assume tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum testium aut trium stet omne verbum. Si eos non audierit, dic ecclesie. Quod si etiam

Si etiam ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ex his apparet, hereticum esse hominem pertinacem, qui ritè admonitus non obtemperet. Nam quòd Paulus vocat hereticum: Christus dicit, Si te aut alios non audiverit. Et quòd Paulus dicit, Devita: id dicit Christus, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et alibi, Excutite pulverem pedum vestrorum. Et quòd Paulus dicit, eum ita peccare, ut ipse per se ipsum damnetur: idem est, quòd continuo addit Christus: Quæcunque ligaveritis in terra, hoc est, quoscunque hoc pacto pro ethnicis et publicanis habebitis, eos etiam Deus ut ethnicos damnabit.

Sunt autem hereticorū sive pertinacium duo genera. alij enim sunt in moribus pertinaces, ut avari, ut scurræ, ut luxuriosi, ut ebriosi, ut persecutores, & ceteri qui admoniti non se corrigunt. Tales erant Iudæi, Scribæ, Pharisei, propterea devitavit eos Christus, dum dixit: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Tales & Christi cōterranei, propter quorum duritiem cordis Christus non potuit ibi facere multa miracula. Alij sunt in rebus spiritualibus & doctrina pertinaces: & ijs

quidem propriè heretici nomen congruit. Est enim heresis Græcum verbum, quod sectam si-
ve opinionem significat: unde qui vitiose se-
ctæ aut opinioni tenacius adherent, heretici
dicuntur. Talis erat Hananias, falsus prophe-
ta, quem cum Ieremias ab errore revocare nõ
potuisset, discessit. Deinde Domini iussu ei mor-
tem non à magistratu, sed à Deo nunciavit:
& erat Hananias perniciosus hereticus, qui
populum ab obedientia avocaret: ex quo qui-
dem uno exemplo facile videre licet, quid sit
cum huiusmodi hereticorũ genere agendum.

Sed de doctrina iudicare, non aequè facile
est, ut de moribus. Nam de moribus, si Iuda-
um, si Turcam, si Christianum, si quemcunq;
alium interroges de latrone aut proditore: re-
spondebunt omnes uno consensu, latrones esse
sceleratos, & interficiendos. Cur ita consenti-
unt omnes? Quoniã res est notissima: itaq; nul-
la questiones aut libri sũt, an latrones sint in-
terficiendi. Est enim hac cognitio in omniũ ho-
minũ animis inscripta iam ab orbe cõdito. &
hoc est quod dicit Paulus, gētes habere legẽ scri-
ptã in cordibus suis. Itaq; his de rebus iudicare
possunt etiam impij. Iam veniamus ad religio-
nem,

rem, inveniemus eam nō perinde esse notam. Fuit olim in omnibus ferè gētibus opinio, multos esse Deos. Hunc errorem sustulit adventu suo Christus, ut iam neque Turca, neque alie nationes dubitent, quin sit unus Deus: atque in hoc consentiunt omnes cum Christianis. Si quis Deum negat, is impius & atheus est, & omnium iudicio meritò abominandus. Hoc etiam habent Turca, quòd credūt in eum Deum, de quo Moses scripsit: in quo & cum Iudeis, & cum Christianis conveniunt sine controversia. Huc usque communis est harum trium nationum fides. Iam Christo multum tribuunt & Turca, in quo Iudeos superant: & hoc habent cōmune cum Christianis. At Christiani in hoc omnes alios excedunt, quòd credunt Iesum Christum esse Dei filium, & mundi Dominū atque iudicem. atque hoc est omnium Christianorum commune. Sed quemadmodū de Christo in summa dissentiunt à Christianis Turca, & ab utrisque Iudei, & alij alios damnant, ac pro hereticis habent: ita de Christi doctrina multis in locis dissident Christiani à Christianis, & alij alios damnant, ac pro hereticis habent. Nam de ba-

ptismo, de cœna Domini, de invocatione sanctorum, de iustificatione, de libero arbitrio, cæterisq; multis obscuris questionibus, acres sunt controversie, ut Catholici, & Lutherani, & Zuingliani, & Anabaptista, & Monachi, cæteriꝫ alij alios longè etiam magis damnent ac persequantur, quàm Turcæ Christianos; quæ profectò dissidia non aliunde proficiscuntur, quàm ex ignorantia veritatis. Si enim essent hæ res tam notæ, quàm notum est unum esse Deum, tam inter se de his convenirent omnes Christiani, quàm omnes nationes fatentur unum esse Deum. Quid igitur in tantis dissidiis superest? Vt fiat quod docet Paulus: Qui non comedit, comedentem ne cõtemnat: nam uterq; suo Domino stat aut cadit. Ne damnent Iudæi aut Turcæ Christianos, rursusq; ne cõtemnant Christiani Turcas aut Iudæos; sed potius doceant, & pietate alliciant. Itemq; inter Christianos, ne damnemus alij alios: sed si doctiores sumus, simus etiam meliores et misericordiores. Nam hoc certum est, quo quisque veritatem melius novit, eo est ad alios damnandos minus propensus: ut in Christo et Apostolis patet. Qui verò alios facile damnat, hoc

ipso

ipso quod damnat, ostendit nihil scire se, cum
 nesciat ferre alterum. Nam scire, est scire fa-
 cere: & qui clementer agere nescit, clementi-
 am nescit; quemadmodum nescire pudere, est
 nescire pudorem. Si ita nos gereremus, Posse-
 mus inter nos tranquille vivere, dum in aliis
 rebus discordes, (saltem in amore mutuo (quod
 pacis vinculum est) consentiremus, donec ve-
 niremus ad unitatem fidei. Nunc dum odii et
 persecutionibus certamus, fit ut in dies in de-
 terius abeamus, neque officij nostri memores
 simus (quippe in alijs damnandis occupati) &
 Evangelium apud gentes male audiat nostra
 culpa. Dū vidēt enim, nos ita inter nos belua-
 rum more grassari, et semper infirmiores à po-
 tentioribus opprimi, detestātur Evangelium,
 quasi id tales faciat homines: detestātur Chri-
 stum ipsum, quasi talia fieri iusserit, ut sit faci-
 lius nos in Turcas, aut in Iudeos degenerare,
 quàm illos Christianos effici. Quis enim Chri-
 stianus fieri velit, cum videat, eos qui Christi
 nomen confitentur, ab ipsis Christianis igni &
 aqua & ferro sine ulla misericordia perimi, &
 crudelius tractari quàm ullos latrones aut
 grassatores? Quis non putet Christum aliquē

esse Molochum, aut eius generis aliquem Deum, si sibi vivos homines immolari comburique velit? Quis velit servire Christo ea conditione, ut si in aliqua re, inter tot controversias, ab ijs dissideat, qui habent in alios potestatem, vivus comburatur ipsius Christi iussu crudelius, quam in tauro Phalaridis, etiamsi in medijs flammis Christum magna voce concelebrat, & se in eum pleno ore credere vociferetur? Finge adesse Christum ipsum iudicem, & sententiam pronunciantem, ac faces inferentem: quis non Christum pro satana habeat? quid enim posset aliud facere satan, quam ut eos comburat qui Christi nomen invocant? ô Christe mundi creator atque Rex, vides hæc? adeo ne alius factus es, adeo efferatus, adeo tibi contrarius? Cum esses in terris, nihil erat te mitius, nihil clementius, nihil iniurie patientius. Sicut ovis ante tonsorem, ne muti visti quidem. Verberibus concisus, consputus, derisus, spinis coronatus, inter latrones summa cum ignominia crucifixus: pro ijs orasti, qui tibi istas omnes contumelias intulerunt. Adeo ne nunc mutatus es? Quæso te per nomen sanctum patris tui, iubésne eos qui instituta præcepta q̄

ceptaꝫ tua non ita intelligunt, ut postulando
 magistri nostri, aquis suffocari, verberibus us-
 que ad viscera concidi, deinde sale conspergi,
 ferro truncari, lento igne torreri, et omni sup-
 pliciorũ genere, quam diutissimè fieri potest,
 excruciarì. Hæcine tu Christe iubes, & pro-
 bas? Hinc sunt vicarij tui, qui hæc sacrificia
 faciunt? ad hancne tu viscerationem voca-
 tus ades, & humana carne vesceris? Si tu
 Christe hæc vel facis, vel fieri iubes, quidnam
 faciendum diabolo reliquisti? An eadem fa-
 cistu, quæ satan? ô blasphemias, ô hominum
 scelestam audaciã qui ea Christo tribuere au-
 deant, quæ sunt instinctu iussuꝫ satanæ. Sed
 cohibebo me: & arbitror ex his te iam satis in-
 telligere, Princeps, quàm procul absint hæc fa-
 cta à Christi doctrina atque moribus. Itaque
 iam audiamus aliorum sententias; quos
 tu tamen sic loqui putato, quasi
 iam constet, quĩnam ve-
 rè sint hæretici.

MARTI.

MARTINI LUTHERI
DE MAGISTRATU SECU-
lari, secunda pars, in qua ostenditur,
quàm longè lateq; pateat magi-
stratus secularis.

Adstatum & principalem huius ser-
monis partem iam accedimus. Post-
quam enim sublimiorem mundi po-
testatem, in hoc terrestri seculo necessariam,
esse ostendimus, mundanumq; magistratum
& quo pacto Christianè & rectè eo utendum
sit: continuo docendum est, quousque eius po-
testas & iurisdictio extendatur, quamq; latè
pateat: ne fortè plus equo progrediatur, atq;
in Dei regnum & principatum impetum fa-
ciat. Sed illud primùm sciendum est, quoniam
utrinque periculum imminebit, & detrimen-
tum, si vel latius sese effuderit, vel arctius
quàm par est, contrahatur. Tametsi tolerabi-
lius sit, si minus diffundatur, quàm si nimium:
ut si minus puniat, quàm nimis. prestat enim
fontem impunitum dimittere, quàm in fontem
punire: quando mundus improbis prorsus sca-
tet, quibus carere non potest, bonorum autem
copia destituitur.

*In primis diligenter advertendum est, ut
 prediximus, filiorum Adami duo esse genera.
 quorum alterū ad regnum Dei attinet, sub ca-
 pite Christo: alterum ad mundanum regnum,
 sub magistratu. Atque utrique suas esse leges,
 sua descripta iura necesse est: cum sine legibus
 nullius imperij, nullius reipubl. gubernacula
 rectè teneri possint, id quod res ipsa loquitur.
 Mundanum regnum eas habet leges, quibus
 corpora & fortuna mortalium sunt subiecta:
 præter hæc nullum ius, nullam habet potesta-
 tem. Animum enim mundanis legibus con-
 stringi, nec vult Deus, nec ferre potest, qui so-
 lus in eum habet ius & imperium. Itaque ubi
 secularis magistratus temerè attentat ferre
 legem animis, manus immittit in Dei possesi-
 onem, ut seducat animos, perdatq;. Hoc ipsa
 luce clarius reddemus, quo intelligant nostris
 Episcopi et principes, quàm stultè agant, ne di-
 cam impiè, dum suis legibus & edictis conan-
 tur mortales cogere, ut sic vel sic credant. Si
 quis hominem suis decretis et legibus voluerit
 adigere, ut hoc vel illud credat pro suo arbi-
 trio: certissimum est, non adesse verbum Dei:
 quod si absit, certius est Deo displicere quàm
 placere,*

placere, qui fidem nostram nudam et puram vult
 super solum eius verbum extructam, ut Mat. 16.
 Inquit: In hac petra construam meam ecclesiam.
 Et Ioan. 10. Oves meae vocem meam audiunt, &
 agnoscunt me: alienum autem non audiunt, sed
 fugiunt. Unde sequitur, secularium magistratum
 nimia temeritate praeditum, animas ad aeternam
 mortem impellere. Cogit enim homines credere,
 id gratum & acceptum Deo esse, quod certius est
 illi displicere quam placere, cum verbi divini
 testimonio non probetur. Qui enim credit, id
 esse verum & certum, quod falsum est & incertum,
 is posthabet veritatem errori & mendacio, &
 amplectitur pro iusto iniustum. Quare insa-
 niunt insigniter isti, & sunt deducendi ad ag-
 natos & gentiles, qui precipiunt, Ecclesiae, pa-
 tribus, conciliis fidem esse adhibendam, etiam
 si careant verbo Dei: quae non Ecclesiae, sed mini-
 storum satanae sunt praeccepta. Nihil enim Eccle-
 sia, nisi certum Dei verbum, potest precipere, Petri
 testimonio, 4. Pet. Si quis loquitur, divina lo-
 quatur oracula. Tunc enim probabunt sua co-
 silia esse Dei verbum, cum Nibas (ut aiunt) cocci-
 fauerit. Insignior ite stultitia, si quis obijciat,
 Reges & principes & multitudinem ita crede-

re. Apage cū tua ista multitudine. Neq; enim baptizati sumus in Reges, principes, aut multitudinē, sed in Christū ipsum et Deum: ex quo Christiani vocamur, & nō aliquo horū nomine. Animis enim nemo aut debet, aut potest aliquid precipere, qui viam qua ducit ad cælū, eis cōmonstrare non noverit. Id verò prestare nemo potest, præter solū Deum: unde in ijs quæ pertinet ad animā, nihil docendum est, aut suscipiendum, præter Dei purum verbū & æternum. Præterea quamvis stipites et stupidi sint, coguntur tamē fateri, nullū ius sibi esse datum in animas. Nemo enim hominū, occidere animam, vitæ restituere, in cælū attollere, ad inferos detrudere potest. quod confirmat Christus Matt. 10. Ne formidate eos q̄ interficiunt corpus, cū animam interficere nequeāt: quin magis formidate eū, qui potest et animā & corpus in gehennā perdere. His verbis satis arbitror constare, ab humana potestate, et seculari magistratu exemptam esse animā, ac relicta soli Dei potestati. Iam dic amabo, quantū rationis aut prudentiæ in eo sit, qui statuit legēs in eos, in quos nihil iuris habet? Quis hunc non Melitide vaniorem iudicaret, qui imperaret lunæ

ret luna, ut pro animi arbitrio daret lucem?
 quã hoc bellum esset? Quod si Venetis Genuen-
 ses, aut contrã, imponerent leges, aut aliquid
 imperarẽt, nõne capita eorũ belleboro essent
 purganda, ut ad se redirent? Et adhuc tamen
 reges & principes ita proruumt, seq̃, à Papa, E-
 piscopis, & sophistis, cecì à cecis eo duci sinũt,
 ut suis precipiant aliquid credere, absque Dei
 verbo: & interim Christiani principes, si Deo
 placet, dici volunt. Quid quòd potestas qua-
 vis, tantum ibi agere potest & debet, ubi vi-
 dere, cognoscere, iudicare, sententiam ferre,
 addere & mutare potest? Nihil enim debet
 esse certius iudicio, in quo omnia clara, ex-
 plorata, meditata esse debent: animi verò &
 cordis recessus & arcana, soli Deo patent, qui
 solus *Αἰτωρὺν* 10. *ναρδιονώσις* appellatur, cui
 vates astipulantur quoque multis in locis. Ex
 quo sequitur, vanum & arrogans esse, impe-
 rare aut velle vi cogere quenquam, ut sic vel
 sic credat, & teneat. Quando violentia ni-
 hil proficitur, est alia via tentanda: horũ stul-
 tam insolentiam non satis mirari possum, qui
 cum omnes fateantur, Ecclesiam nihil iudi-
 care de occultis, ipsi tamen conantur tam ar-
 cana,

cana, tam divina, qualis est fides, indicare, statuereq;. Iam & cuius suum discrimen atque periculum in hoc situm est, quomodo credat: sibi enim videndum est, ut rectè credat. Ut enim nemo venire potest pro te vel in cælum vel in orcum, sic nemo credere potest pro te, aut non credere. Et ut in nullius est potestate, tibi cælum & inferos claudere vel aperire, sic nemo te ad fidem vel infidelitatem cogere potest. Itaque cum positum sit in sua cuiuslibet cōscientia, quomodo credat vel nō credat, ut nihil detrahatur mundana potestati, ipsa debet esse pacata, et suarum rerum curam gerere: atque cuiuslibet simul permittere ut credat, quomodo aut velit aut possit, neque ad credendum quenquam impellere. Nihil debet esse tam liberum, quàm fides & religio, ad quam nemo potest vi adigi, utpote qua sit opus divinum in spiritu sancto: tantū abest, ut humana vis eam ullo modo possit efficere, aut exprimere. Hinc illud vulgatum, quo & Augustinus usus est: Ad fidē nemo nec debet nec potest cogi. Ad hac misericordiā, quàm vani & irriti sint illorum conatus, non vident. Quantumvis enim sive prae-

C piunt,

piunt, sive insaniunt, non tamen ultra cogere possunt mortales, quàm ut eos ore manuve sequantur. Cor enim nequeunt impellere, etiamsi rumpantur: ut verum sit, quod vulgò iactatur: **LIBERAS ESSE A VECTIGALI COGITATIONES.** Quid ergo cogunt homines, ut corde credant, cùm ipsi perspiciunt id non posse fieri? cur imbecilles conscientias urgent mentiri, Christumq; abnegare, & secus loqui quàm in animo habent, se alienis facinoribus atque peccatis onerantes? Nam quodcunque mendacium, falsaq; confessio inde promanat, eorùm capitibus qui adigerunt imminet. Multo facilius erat sinere subditos simpliciter à scopo aberrare, quam impellere ad mendacium, & ad istas coactas confessiones. Si cupis iam scire, cur sinat Deus Principes agere tam impiè et atrociter, accipe. Permisit eos Deus in improbam mentem, vultq; extremam manum illorum conatibus addere, ut nostris spiritualibus. Officio enim satisfaciendum, purumq; Dei verbum nunciandum erat: verùm eo spreto, assumpserunt formam mundanorum principum, more eorum Rempub, administrantes, in his legibus

quæ

quæ ad corpus attinet. Itaque vices suas bene
 permutarunt. nam cum verbo Dei deberent
 pascere animas, arces, civitates, provincias
 externo dominatu, & populos occuparunt:
 animas vexantes infandis latrocinijs. pari ra-
 tione principes et optimates, quos decebat su-
 os gubernare legibus æquissimis, omne ius &
 fas post habentes, iam nihil norunt quã deglu-
 bere, dilaniare, vectigal supra vectigal, tri-
 butum supra tributũ imponere, negotia pu-
 blica lupis committere. quò fit, ut neq; iusti-
 cia, nec veritatis, nec fidei iam ullum vesti-
 gium apud eos restet. Itaque non mirum est,
 si res mortales pessime eunt, eas ijs perturbã-
 tibus, qui debuissent ad trãquillum statũ re-
 ducere. Nam hi volũt ordine præpostero, ani-
 mis & cõscientijs imperare: illi rerum mun-
 danarum curam gerere. ita sacra prophanis
 miscentur, et vicissim alij aliorum sceleribus
 cõtaminantur, Dei atque hominũ odium in
 se concitando, donec una cum Episcopis, sa-
 crificis, monachis, leno cum lenone precipi-
 tes ruãt: qui deinde ubi hæc viderint, tum tri-
 buẽt Evangelio omnium malorum causam,
 p laude & benediãtis malediãta Deo cæli re-

ferent: sic ea patientur, quæ meruit eorum
 scelestæ perversitas. Ecce tibi super magna-
 tes divinum cōsiliū, cui fidem nequaquam
 sunt habituri: ne tam severum Dei consiliū,
 istorū resipiscētia præpediatur. At verò oby-
 ciat aliquis, nōne D. Paulus Rom. 13. dicit:
 Omnis anima superioribus potestatibus pa-
 reat? Et Pet. Omni humanæ ordinationi sub-
 diti sitis. Oportunè venis: illi enim loci à me
 estant. D. Paul. de magistratu & potestate lo-
 quitur. Jam autem audivisti, neminē esse re-
 ctorē animorū præter Deum. Ergo Paulū de
 nulla obedientia intellexisse oportet, quā po-
 testas nō possit attingere. Ex quo facile potest
 intelligi, eum non loqui de fide, ne à munda-
 næ potestatis præceptis pendēret: verū de bo-
 nis externis, quæ in terris ordinaret. Id ve-
 rò planè indicant eius verba, ubi scopum ac
 metā præfigit & potestati & obedientiæ, di-
 cens: Solvite quod cuiq; debetis, cui tributū,
 tributū: cui vectigal, vectigal: cui metū, me-
 tū: cui honorē, honorē. Ecce obediētia huma-
 na, et potestas sup tributū, vectigal, honorē,
 metum, externas res, se tantū extendit. Præ-
 terea cum ait, Non rectè factis metuēdi sunt
 magistra-

*magistratus, sed pravè factis: eum rursus
circumscribit suis finibus, ne castiget fidē &
verbum Dei, sed malefacta puniat. Idem
vult D. Petrus, dum ait: Humane ordinati-
oni. Porro humana ordinatio sese in calum
usque & ad animam extendere non potest,
sed manet in terris, & curat terrena, ubi vi-
dere, cognoscere, iudicare, sententiam ferre,
multare & eripere homines possunt.*

*Hoc totum Christus ipse discrevit. & in
fascem unum colligavit, Matt.: 22. Date Cæ-
sari, quæ sunt Cæsaris: et quæ Dei, Deo. Quod
si manus Cæsaris extenderet se in Dei regnū
& potestatem, nec esset diversa ab eis, quid
opus erat ponere horum discrimen? Etenim
ut saepe iam dictum est, anima non est consti-
tuta sub potestate Cæsaris. Neque enim hanc
docere aut ducere, neque occidere aut vivi-
ficare nec ligare, aut solvere, nec iudicare
aut absolvere, nec retinere aut dimittere
potest: quæ tamen oportuit fieri, si sit illi po-
testas facta præcipiendi, & leges super ani-
mas ferendi. quæ quidem facere potest super
corpus, fortunas, honorem: quando quidem
hec sunt subiecta eius iurisdictioni.*

Atq; hæc omnia, tam præclarè quàm succinctè David complexus est, non paucis ante seculis, Psal. 113. Cælum inquit, cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum: id est, copia quidem est facta homini divinitus in terrena, & quicquid pertinet ad terrenum regnum: in cælestia verò, & quicquid attinet ad supernum regnum, solus cælestis Rex dominatur. Quid? an non & Moses idem voluit, cùm inquit: & dixit Deus, faciamus hominem qui dominetur bestijs terræ, piscibus maris, volucribus cæli. Atq; hæc est summarum summa: Aequum est, Deo potius obtemperare, quàm hominibus, ut D. Petrus ait Act. 4. ubi seculari magistratui limites figit, et cancellos clarè circundat. si enim esset exequendum quicquid præciperet tyranni, quid opus fuit dicere: Deo potius obtemperandum est, quàm hominibus? Quod si tuus princeps, aut secularis magistratus præcipiat, ut sic vel sic credas, velut à libris sacris abhorreas, sic est dicendum: Non licet lucifero, proximè Deum, suum thronum collocare, vir illustrissime: meum quidè est, in his quæ corporis & fortunarū sunt, tibi obsequi mandare.

manda verò mihi pro modulo tuae potestatis
 in terris, & me promptū invenies tuis iussis
 exequēdis. sin mihi imperes, ut pro aliorū ar-
 bitrio credā, ut libros abijciam, imperata nō
 faciā. Hic enim agis tyrannū, & trās illos ter-
 minos tuae iurisdictionis dū imperas qđ neq;
 in tuo iure, neq; in tua est potestate. Quòd si
 prado tibi rapit bona et fortunas, huiusmodi
 inobedientiam mulctans, beatus es: age Deo
 gratias, qđ te dignū habet, ut vexeris propter
 eius obedientiā. sine istū stultū se vire, suū iu-
 dicem inveniet. tibi predico, nisi cōtradixe-
 ris ei, sed consenseris, ut à te fidem & libros
 eripiat, tu verè Deum abnegasti.

Et ut huius rei exemplū adducā, alicubi
 edictū tyranni vulgatū fuit, ut quisquis ha-
 beret novū Testamētum, id traderet magi-
 stratibus et suis præfectis. Hic subditorū erit,
 ne minimū quidē folium aut syllabā adferre
 ni eterna sua beatitudinis iacturam facere
 velint. Quisquis enim id fecerit, is Herodis
 Christū prodit. Nam hi, ut Herodes, querunt
 Christū occidere. Quòd si iussu tyrannorū in
 illorū aedes fiat irruptio, ut libri & bona eri-
 piantur, id debēt perpeti: temeritati hīc vio-
 lentiāq;

sentiaq; nō est resistendum, sed tolerandum: nec probandum tamē, sed cum Dei protestatione & testificatione sinendum. In tali enim eventu faciunt quod decet principes mundi. Principes enim sunt mundi, mundus autem est inimicus Deo. Et quia quod Deus improbat, mundus probat: eos oportet facere, ne priventur suo honore, sintq; verē mundani principes. Quare ne mireris, si adversus Evangelium tumere animadvertas istos & servare. Titulo nominiq; suo respondent.

Certum sit etiam apud te, ab orbe condito sapientē principem, a vēm esse admodum rarā: multō rariorem, iustum & bonum. Innumeri autem & longē maximi, Mida, aut Caligula, Nerones plerique enim principes sunt Dei tortores & carnifices, quibus divina ira in malorum pœnam, civilisq; pacis conservationem abutitur magnus Dominus Deus noster. Itaque cum necesse sit nobiles, generosos, divites, lictores habere: sic visum est Deo, ut eius iræ ministros et carnifices vocemus clementes & propitios dominos, illis accidamus, omniq; submissione obsequamur, quamdiu tenuerint equam stateram, et me-
diū

diū nō exceſſerint, ut lanista aut lanij ex pa-
 storibus incipiāt fieri. At ubi res adeo felici-
 tor succedit, ut princeps prudēs pius & Chri-
 stianus sit, maximū est, preciosissimamq; di-
 vine erga illum populum benevolētia argu-
 mentū. nam ferē principes ei loco qui est Esa.
 cap. 3. respondent: Dabo, inquit, pueros prin-
 cipes eorū & dominabuntur eis effæminati.
 Item Oſea 13. Dabo tibi regem in furore meo,
 & eum auferam in indignatione mea. Ne-
 quior est mundus, & indignior, quā ut de-
 beat habere sapientes & bonos principes.
 Ranis serpentes oportet dominari. Rursum
 obijcias, Neminem secularis magistratus cō-
 pellit ad fidem aut religionem: sed curat tan-
 tum, prohibetq;, ne homines à vero prava do-
 ctrina abducatur. Quomodo alioqui exclu-
 derentur heretici? Respondeo: Non princi-
 pes, sed episcopi, quibus demandatū est à Deo,
 huic rei debent invigilare. Nam heretici nō
 possunt cohiberi ulla vi externa: quare alia
 ratione cum eis agendum est, quā gladij se-
 veritate. Dei verbo hic res gerēda: quo si ni-
 hil proficies, frustra mūdana vis adhibeatur,
 etiaſi omnia cruore repleas. Heresiſ est quid-

dām spirituale, quod nullo ferro dissecari,
 nullo igni cōsumi, nulla mundana aqua elui
 aut submergi potest. Vno Dei verbo potest se-
 cari, exuri, & summergi, D. Paulo testante,
 cum ait: *Arma militie nostre non carnalia*
sunt, sed potētia Dei, ad munitionum demo-
litionē, quibus cogitationes deturbamus, &
omnem sublimitatē elatam cōtra Dei cogni-
tionem, omnemq; mentē ad obediendū Chri-
sto cogimus. Prætereā nunquā est cūm fidei tū
hereseos maior fortitudo, quā ubi citra ver-
bum Dei, agatur aduersus illas nuda violē-
tia. Omnibus id clarum esse potest, istiusmodi
vim, non iustam tueri causam, sed repugnare
iuri & equitati, cum sine verbo feratur, seq;
nō possit tueri, nisi mera tyrannide et ferita-
te, bestiarum more. Nā nec in mundanis cau-
sis, reliquus fit locus violento pgressui, quan-
diu iniustum ab iure victum fuerit. Quanto
autē difficilius est, violēter agere verbo Dei,
iureq; remoto, in illis tam arduis causis? Vide
igitur quā bellē domini isti prudentiā suā
produnt? Heresim ppulsare nolunt, nec ta-
men quicquā tentant, quā ut aduersarios
corroborent, se suspectos reddāt, illos verò iu-
stificent.

stent. Quòd si heresim cupis abigere, oportet te eo stratagemate esse instructū, ut primū omnium eā è corde divellas, & redditis causis voluntariā amoliaris: violētia verò tantum abest ut propulses, ut etiam magis corroboret. Quid ergo pdest, si heresim in corde cōfirmes intus, in lingua verò solum debilites, et ad mentiēdum cogas? Quod si aggrediare à Dei verbo, eo cor illuminabitur: ex quo deinceps sua spēte elabitur, quicquid est vel hereseos vel erroris. De hac via hereseos amoliente, Esaias intellexit, cap. II. cum ait: Percutiet terram virga oris sui, & interimet impiū spiritu oris sui. Hic enim docet, impij controversiam absolvi verbo & spiritus energia.

Atque ut omnia semel complectar, principes et tyranni huius mundi ignorant, pugnare adversus heresim nihil aliud esse, quàm conflare cum Satana, qui tenet corda obsessa, ut testatur Paulus Ephes. 6. Non est, inquit, nobis luēta adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, potestates, dominationes tenebrarū seculi huius, adversus spiritualem nequitiam in cœlestibus. Quamdiu ergo è corde non evellitur & abigitur

Satan

Satan, perinde est illi, si vasa eius ferro aut igni perdam, ac si fulgur culmo impugnarem. quemadmodum Iobus testatur cap. 14. cum ait, ferrum instar straminis à Satana reputari: utpote cuius violentiam nihil pertimescat. Et si enim necarentur omnes Iudei & heretici, aut affligerentur: nemo tamen ideo vincitur, vel ad Christum convertitur.

Sed operæ precium est videre mundi principum curam præposteram: neutra enim pars suum officium præstat. Episcopi curant, ut Dei verbum negligant, animas curent: & mundanis principibus suas vices demandent, ut interea gladio, verbi loco regnent. Rursum principes mundani, ut fœnus, rapinam, adulteria, latrocinia, & id genus scelera, & committant ipsi, & in aliis impunita relinquunt: admittant tamen, ut episcopi eadem persequantur schedis excommunicatricibus: hocq; pacto calceum egregiè invertant, ferro animam, corpus verò verbo gubernent: utq; mundani domini spiritualia, spirituales verò mundana procurent. Estne aliud Satane opus in terris, quàm quòd tantas prestigias & ludicra exerceat? Hi sunt Christiani principes nostri.

*stri, qui fidem defendunt, & Turcam devo-
rant. His scilicet Respub. mandanda, ut mo-
derentur omnia ista sua prudentia: nimirum
qua se precipites agant, & redigant populos
& civitates in horrendam ruinam & cala-
mitatem.*

*Optarim tamen equidem vehementer, da-
re consilium fidele cecis istis: nimirum ut sibi
caveant ab uno brevi Davidis dicto, quod
habetur Psal. 107. Effundit contemptum su-
per principes. Per Deum sanctè iuro, si id ve-
rum, tantillas vires, in vos acceperit vestra
negligentia, nulli estis, etiamsi singuli nō esse-
tis inferiores Turca ipso, potentia: neque ve-
stra crudelitas & rabies, vobis quicquam cō-
modabunt: id quod vel iam nunc non parum
cœpit. supersunt enim pauci, qui non habeantur
pro morionibus, vel nebulonibus: & me-
ritò nam ipsi sese tales exhibent. Vulgus tamen
dem sapere incipit: & principū multa, quæ
contemptū Prophetæ vocat, potenter sane in-
cedit per plebem: estq; periculū ut ei possit ob-
sisti, aut remedium adhiberi, nisi esse principes
cœperint quod esse debent: auspicienturq; de
integro piè dominari, & mansuetè. Non tole-
rabitur,*

rabitur, nec potest iam vestra tyrannis ferri,
 atq; animi perversitas. Agite dum viri Prin-
 cipes, ex pergis cimini tandem: & hac versan-
 tes animo quæ dixi, primùm emendate ve-
 stram vitam. Sic enim Dei stat decretum, ut
 non diutius feratur vestra nequitia. hodiè
 nō est mundus ut quondā, cum homines quasi
 feras sylvestres agitaretis, & venaremini.
 Quamobrem desistētes à temeritate & vio-
 letia, cogitate apud vos, ut rectè iusteq; ag-
 tis, sinite divino operi (quod ipse Deus pror-
 sus vult) necessariū cursum & progressum,
 quem tamē vobis invitis obtinebit. Si here-
 sis adest, ea est debellāda Dei omnipotēti ser-
 mone. Quod si gladium plus æquo nudare co-
 nabimini, cavete ne advētet, qui vos in va-
 ginam gladiū recondere, nō in Christi nomi-
 ne iubeat. Diceret autem quispiā, Si prorsus
 mundanus gladius de manu Christianorum
 excussus sit, quonā modo externa guberna-
 buntur? cum inter Christianos oporteat ali-
 quos esse, qui cæteris imperēt. Respondeo: Inter
 Christianos nec debet nec potest esse ulla præ-
 eminentior potestas, ullusve principatus, sed
 alter alteri subiectus, ut D. Paul. Rom. 12. ait:

Hono-

*Honore alius alium praevenientes. Et 1. Pet. 5. Vobis subiecti invicē sitis. Atq; hoc ipsum dicto Christi confirmatur: Reges gentiū dominantur, vos autē non sic. Item: Cum invitatus fueris ad nuptias, accūbe in inferiore loco. Inter Christianos nemo est qui sit eminentior, præter solum Christum. Quenam potest esse sublimior potestas, inter eos qui inter sese unum sunt, eodē iure, potētia, facultate, honore æqualiter fruētes: atq; inter quos alius alio non maior, sed inferior esse cupit? Quid quòd ne posset quidem institui aut erigi potestas, etiā si quis maximè velit, ubi tales sunt homines, quorum natura et ingenium noferat. Sic ubi verò non sunt huiusmodi mortales, nec sunt etiā veri Christiani. Quid ergo sacerdotes et episcopi sunt? Respondeo: Horū administratio non est primatus aut potestas, sed servitus aut ministerium. nec enim sunt altiores, vel meliores cæteris Christianis. Quare nec leges nec statuta super alios debent condere, absque illorum voluntate & consensu: eorum munus est, sincerè verbum Dei nunciare, eo Christi oves regere & pascere, eo hæreses luposq; depellere. Nam
ut di-*

ut dictum est, Christiani nulla re alia gubernari possunt, quam puro verbo Dei. nam non factis sed fide vivunt: fides autem non ex operibus, sed ex verbo Dei gignitur, ut D. Paul. ait: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Itaque increduli, Christiani non sunt: neque ad Christi, sed mundi regnum pertinent, ut gladio externaq; administratione cogantur & gubernentur. Christiani autem sua sponte, nemine cogente, officium faciunt, solo Dei verbo eiusq; spiritu contenti, quod ad ipsos attinet. de qua re alibi saepius & multa scripsimus.



AN MAGISTRATUS JURE

possit occidere Anabaptistas, aut
 alios Hæreticos, Johannis
 Brentij sententia.

Inter alia huius seculi errata, quæ
 hoc ætatis ob fidem Christianam pas-
 sim emergere videmus, non mini-
 mum est eorum, quos Anabaptistas vocant.
 Etenim illi ob non sanum sacri baptismi intel-
 lectum in eam venerunt sententiam, ut do-
 ceant, nullum infantem puerum, & nondum
 rationis usu præditum baptizandum esse, ne-
 que talium baptismum ullius momenti esse
 affirmant. Quocirca iam grandes natu se-
 metiplos iterum baptizandos offerunt, ac de-
 incepta bona sua habent communia, nullis gla-
 dijs accincti incedentes: neque semet ullo iu-
 reiurando, aut fide magistratibus volunt ob-
 stringere, constanter affirmantes, nullum Chri-
 stianum posse aut debere fungi magistratus
 officijs. Præterea id genus alios articulos per-
 tinaciter affirmant, quos ex scripturæ sacræ
 ignorantia suserunt. Quia verò satis firmis
 scripturæ testimonijs probari ac planum fieri
 potest,

potest, horum rebaptismo Sacramentum bap-
 ptismi contumelia affici. Insuper taliū Ana-
 baptistarū doctrina, novum, pharisaicum,
 monasticum, & seductionis plenum ordinem
 iterum erigi: illud in questionem venit, qua
 ratione huic phanaticæ hæresi occurrendum
 sit, in hoc, ut eradicetur & extinguatur.
 Et sunt nonnulli magistratus, qui igne &
 gladio huic malo mederi voluerunt: existi-
 mantes eam rectā esse viam eiusmodi here-
 ses extinguendi. Ad quod citare solēt ius Cæ-
 sareum, quo cautum et scriptum est, ut Ana-
 baptiste morte mulctentur. Hæc cum ita sint,
 primū videbimus, num sacre scripture au-
 thoritate et permissu Anabaptiste, aut etiam
 alij heretici, à Magistratibus supplicio affici
 debeant: deinde an verus & germanus Cæ-
 sareæ legis intellectus hoc sibi velit, ut omnes
 Anabaptiste citra discrimen ad supplicium
 & mortē rapiantur. Principiò duplicia sunt
 peccata, iniusta sive scelera animadversione
 digna: & primū quidem peccata sunt spi-
 ritualia, deinde que vocant secularia. In-
 ter spiritualia numerantur incredulitas, de-
 speratio, pusillanimitas, peruersus sacre scri-
 pturæ

Stura intellectus, heresis, occultum odium & invidentia, alienorum bonorum concupiscentia, aut etiam proximi thori appetitus. Præterea omnia alia quæ coram Deo peccata censentur: quæ quanquam fieri soleant; nihil tamen communi & civili tranquillitati officiant. Secularibus peccatis hæc annumerantur, proditio, homicidium, latrocinium, furtum, adulterium: adhæc; quæcunque aliorum flagitiorum reliqua sunt, pacem & communem tranquillitatis statum cõturbantia. His duplicibus peccatis puniendis, duplicem quoque Deus instituit & pœnam & gladium, videlicet spiritualibus spirituales, quod est verbum Dei: secularibus verò et externis, secularem, nempe Cesaris gladium. Etenim unumquodque peccatum eo instrumẽto puniendum est, quo coerceri potest. Iam spirituale peccatum subtile est, & gladius magistratus adeo crassus & carnalis, ut multo vehementius illo corroboretur, quàm debilitetur. Neque spirituale peccatum adeo malam faciem præse fert, atque homicidium aut latrocinium; sed incedit quadã pulchra honestate & prudentia exornatũ. Quippe nulla incredulitas

adeò mala est, que non suas causas habeat,
 & honestum aliquem pretextum & faciem.
 Neque ulla heresis in tantum falsa est, que
 semet non studiosissimè sacrarum literarum
 subsidijs atq; testimonio comaret. Quapro-
 pter, si gladio incredulitatē & nudas hereses
 coercere velimus, nihil aliud agemus, quàm
 quòd diaboli conatum iuvemus, ut subinde
 maiori tragædia rem deteriorem faciat. Ad
 hunc enim modum de illo in Hiob memoriæ
 proditum est, capite 41: Cum apprehenderit
 eum gladius, sustinere non poterit, neque ha-
 sta neque thorax. reputabit enim quasi pale-
 as ferrum, et quasi lignum putridum es. Non
 fugabit eum vir sagittarius. Porrò tū demū
 victus in fugam vertitur, quando verbo Dei
 impetitus fuerit, ac eius impostura & men-
 dacia reteguntur, & pro palàm cōfutantur,
 & sic non amplius potest consistere. Nam
 quando cunq; diabolus per suos concitato bel-
 lo veritatem impugnaverit, sicut fieri solet
 incredulitate et heresibus, nulla repugnatio-
 ne et reluctatione perinde opus est, quā ut pro
 palàm eius insidiosa fraudes & malitiosæ se-
 ductiones detectæ indicentur. Est enim pater
 mendacij.

*mendacii, & luci inimicus. quocirca quam
 primùm lux veritatis adducta fuerit, tene-
 brarum principi fuga arripienda est, nō po-
 tenti subsistere. Iam verò mūdano gladio nō
 ea vis est & potentia, ut quātum ad vim suā
 attinet, occultum aliquod malum aut viti-
 um velut apertum coarguere & planum fa-
 cere possit. Neque occulta iniquitati suam a-
 pertam & formosam honestatis faciē potest
 detrahere, sed quo fortius eam impugna-
 rit, tanto magis crescit honesti facies. Ex hoc
 fit, ut increduli & heretici externa & nuda
 insectatione, tantum vehementius suo in er-
 rore confirmantur. Nam cum illorum opinio
 ratione & causis carere non videatur, est q̄
 sacris literis, veruntamē falso intellectis ex-
 ornata, nec illorum pravus et malè sanus in-
 tellectus divine gratia inopia satis clarè cō-
 vinci potest: fit, ut in eam veniant sententi-
 am, & animi persuasionem, ut putent se iu-
 stitiae & verbi Dei nomine insectationē per-
 peti. Ex quo deinceps oritur quedā infracta
 pertinacia, & in omnibus cruciatibus et tor-
 mentis constans perduratio, quae quidem sibi
 ipsis est exitio: alijs verò eorundem constan-*

tiam videntibus, aut audientibus, seductioni.
 Quapropter hac cōpendiosissima & optima
 via est hereticos impugnandi, ut tantum E-
 wangelio & sacra scriptura hoc duellum ad-
 versus hereticos cōmittatur, per quod adeo
 solū hereticorū honesti pretextus prodūtur,
 et illius manifestatione submoventur. Prete-
 rea equè promptū est, incredulis & hereticis
 corā mundo virū probū et integrū referre,
 atque rectē credentes. Quare si non vacant
 homicidio, si non latrocinantur, non furan-
 tur, nullo se contaminant adulterio, nemini
 vim inferunt, sed pacatē vivunt in civili-
 bus et externis ordinationibus, solvunt quod
 cuique debuerint, censum cui census reddē-
 dus est, timorem cui timor, honorem cui ho-
 nor habendus est, sicut Paulus ad Romanos
 scribit, tum nihil iuris adversus illos Magi-
 stratum relinquitur. Paulus enim dicit, Ma-
 gistratum ministrum Dei esse, & vindicem
 in iram, ei qui malē agit. Quae verba omni-
 bus circumstantijs de malis & externis ho-
 minum actibus, & non de spiritali incredu-
 litate intelligenda sunt. Homicidae, latrones,
 & apertē facinorosi, magistratus pœnis ple-
 tendi

Etendi sunt. Porro increduli & heretici, qui alioqui corā mundo honestè & inculpate vitam exigunt, Evangelij supplicio, & Dei, post hanc vitam destinati sunt. Inde Christus Matthæi 13. suis præcepit discipulis, ne eradicarent zizania, sed sinerent utraque simul excrescere, usque ad tempus messis, &c. Quibus verbis illud innuere voluit, ne Christiani incredulos & hereticos, qui hoc loco vocantur zizania, gladio conarentur è medio tollere: sed adversus eosdem spirituali pugnent, donec appetat messis: & tunc iustam pœnam, si non conversi à prava sententia discesserint, invenient. Nam si quis ob incredulitatē et heresim statim more mulctandus esset, ille nō corporali solum vita privaretur, sed de animæ quoque salute in discrimen veniret. Potuisset enim fortasse in tempore, repudiata incredulitate, & errore pristino: abiecto resipuisse, & ad veram fidem converti: quæ in re per magistratus tyrannidem præpeditur. Quin etiam Paulus ad Titum scribit. cap. 3. Hereticum hominem post unam atq; alteram correptionē de vita, sciens quia subversus est qui eiusmodi est & delin-

D iiij quit,

quit, cum sit proprio iudicio cōdemnatus. Hic
 non dicit Paulus, hominem hereticum flam-
 mis concremandum, aut gladio occidendum
 esse: sed cum noluerint cū alijs rectè & sanè
 sentire, devitandum esse. Sed dicet aliquis,
 Christus & Paulus etiam homicidam, adul-
 terum, resipiscentem recipiūt, nec quenquam
 sui officij nomine morte puniunt, quodcunque
 tandem facinus seu grande seu modicū admi-
 serit. Respondeo: Verū esse, Evangelium nullū
 peccatorem morte adficit: verūm quamdiu
 apertè peccant, vitiosis operibus indulgentes,
 excommunicati rejiciuntur ab Ecclesia, ac
 pro ethnicis et publicanis reputātur. Vita ve-
 rò per pœnitentiā emendata, iterum in Chri-
 stianam communionem recipiuntur, atq; pro
 Christianis agnoscūtur. Interim tamē Evan-
 gelium Magistratibus suum permittit officii-
 um, quatenus sui muneris terminos non ex-
 cedit, sed in ordine legitimo permanserit,
 & punit quicquid illi puniendum iure con-
 cessum & permissum est. Caterū, si gladi-
 us extra sui iuris terminos fertur, & latius
 quàm à Deo ordinatum est, puniendo progre-
 ditur, volens id quoque irrogata pœna cor-
 ripere,

ripere, quod soli Evangelio & verbo Dei cor-
 ripiendum est, cuius generis est incredulitas
 & heresis: sanè hic facile plus malorum da-
 re potest, quàm pacem aut tranquillitatē re-
 tinere: seq̃ tantūmodo per hoc facit hebetio-
 rem, dū violenter alieni operis & officij exe-
 cutionē sibi vendicat, in alterius messem fal-
 cem suam (quod aiunt) mittendo. Et quan-
 tum ego coniectura auguror, Anabaptistarū
 heresis nulla alia re perinde corroborata &
 promotā est, quàm Magistratibus, qui actu-
 tum citra verbum Dei et sacre scripture ex-
 positionem tyrannicè adversas illos ferro se-
 vierunt. Nam dum spirituali vitio iniusta
 pœna occurrere conati sunt, & ius gladij la-
 tius quàm par, aut concessum erat, proten-
 dere, propter abusum & tyrannidem gladij
 Dominus Deus noster exarsit iracundia, at-
 que in supplicium hominum diabolo subinde
 magis atque magis seivire permisit, semperq̃
 efficacius suum errorem excitare & consta-
 bilire: adeò ut corporalis illa pœna & corre-
 ptio parum fructus vulgo attulerit: paucis,
 aut potius nullis, ad animi resipiscētiam per-
 tractis, sed multo vehementius errorem au-

xerit atque promoverit; quando Anabaptif-
 mi negotium nullū externum aut mundanū
 cōstat esse flagitium, verū saltem internū
 & occultū errorem, scriptura & testimonijs suf-
 fultum. Ex his iam dictis clarè liquet, & ab-
 undè demonstratum est, incredulitatē & hæ-
 resim, quamdiu citra aliorū facinorum ac-
 cessionem nuda permanserint, sola Dei verba
 punienda esse. At si in opus aliquod malum
 & perniciosum eruperint, ac certa alicuius
 seditionis concitanda, aut homicidij perpe-
 trandi causam præbuerint, aut alioqui scele-
 rata & vitiose vitæ occasionem induxerint,
 tum primū in gladij potestatem punienda
 incidunt: de quibus non alia ratione sumen-
 dum est supplicium gladio, quàm de seditio-
 num autoribus, aut homicidis, aut alijs fa-
 cinorosis sumi solet, posteaquam per incre-
 dulos & hæreticos in leges civiles flagitiosè
 peccatū est: immò non secus, quā alius quis-
 piam privatus homo, qui sub prætextu fidei
 incedēs, seditionis aut cædis aut aliorū puni-
 endorum facinorū caput extiterit, supplicio
 afficitur. Breviter, incredulitas & hæresis nō
 civilis, sed spiritalis gladij pœnis subiectæ
 sunt.

sunt. Quippe si incredulitas Magistratus gla-
 dio plectenda foret, & iudicanda, equè citò
 Magistratus quàm subditi essent invadendi,
 & ad supplicium rapiendi. Adhæc, si hæretici
 violētia essent exterminandi, aut possint vi
 profligi, quorsum opus esset sacris literis na-
 vare operā, cum hac in re constaret, carnifi-
 cem doctorem esse omnium literatissimum?
 His contrā opponitur lex Mosaica Deuteron.
 cap. 3. Si surrexerit in medio tui propheta,
 aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixe-
 rit signum atq; portentum, & evenerit quod
 locutus est: & dixerit tibi, Eamus & sequa-
 mur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus
 eis: non audies verba propheta illius, aut so-
 mniatoris, &c. sed propheta ille aut fictor so-
 mniorum interficietur, quia loquutus est ut
 vos averteret à Domino Deo vestro. Et mox
 in eodem capite: Si tibi voluerit persuadere
 frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus,
 vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut
 amicus quem diligis ut animam tuam, clam-
 dicens: Eamus et serviamus dijs alienis quos
 ignoras tu & patres tui, &c. non acquiescas
 ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus,
 ut mī,

ut miserearis & occultes eum, sed statim in-
 terficias. Sit primum manus tua super eum, &
 post te omnis populus mittat manum. Lapidi-
 bus obrutus necabitur. Hæ sunt duæ leges Mo-
 si, quibus planum facere conantur, hæreticum
 civili gladio iurè posse occidi. Nam hæresim in
 fidem Christianam inducere, non aliud esse,
 quàm à vero Deo & verbo eius ad alienum
 Deum & mendacia simplicium animos ad-
 ducere. Verùm longè alia est ratio puniendi
 hæreticos in Christianismo, atque olim fuerit
 in Iudaismo. In Iudaismo erant externæ
 & corporales promissinnes, corporales bene-
 dictiones, corporalis terra, corporale regnū
 & sacerdotium: erant etiam externæ & cor-
 porales hostium cedes, quæ res signa erant &
 figura rectæ virtutis in Christianismo mani-
 festandæ. Quamobrem quemadmodum cor-
 poralis illa Iudeorum benedictio, figura fuit
 Christianis spiritalis benedictionis, & corpo-
 rale regnum spiritalis regni fuit symbolum:
 ita quoque externa illa & corporalis Cana-
 neorum & Hiebusæorum cedes seu internitio,
 & pseudodoctorum, monstrat & signifi-
 cat, ut Christiani ratione spiritali hostes suos,
 nem-

Os, nempe peccata præterea falsos doctores & seductores occidant: videlicet ut peccatum in corpore spiritu Dei opprimant, & seducto-ribus in fide sua non adhareant, sed quemad- modum Paulus inquit, eosdem devitent. Hoc idem innuit quoque Christus, ubi Matth. 18. sic loquitur: Si manus tua, vel pes tuus scan- dalizat te, abscinde eum & projice abs te. Quæ verba nedum ad corporalem manum aut pe- dem, sed spirituales quoque, nempe doctores, amicos, socios respiciunt, et referenda sunt. Neque de externa membrorum amputatione, sed spi- rituali loquitur, ut hic verborum sensus sit, Quod si tibi predicator, aut amicus, aut adiutor fuerit, & ille tibi erronea doctrina erit offendiculo, aut perdita & mala vita te seduxerit, non adhibebis illi mentem, sed illum amputato: hoc est, eius consortium devita, ac temet ab eo segregato. Quin etiam tibi sit pe- rinde ut ethnicus et publicanus. Et hæc spiri- tualis devitatio, aut nos offendentis abdicatio, per corporalem pseudoprophetarum inter- fectionem in lege indicata est. Fuere quoque in lege Mosaica coactæ quedam corporales cere- moniæ et cultus Dei, quorum negligētia cer- tis pæ-

tis pœnis puniebatur, veluti legitur Genes.
 cap. 17. Masculus cuius præputij caro circum-
 cisa nō fuerit, delebitur anima illius de popu-
 lo suo, quia pactum meum irritum fecit. Et
 Num. cap. 4. Moses quendam populo lapidan-
 dum obijciebat, qui Sabbato ligna collegerat.
 Porro in Evangelio libertas quadam pœna-
 rum seu utilitatis pposita est fidei seu incre-
 dulitati, cuius loco successit spiritualis utili-
 tas atque pœna; veluti Christus inquit: Qui
 crediderit, salvus erit: qui non crediderit,
 condemnabitur. Sed dicet aliquis, Esto ut E-
 vangelico, seu predicandi officio demanda-
 tum non sit hereticos corporali supplicio affi-
 cere, cum ei officio nō nisi spiritualiter punire
 concreditum sit: Magistratus tamen inter-
 est, pœnam hereticis infligere. Responsio: Cu-
 iusq; Magistratus officium, ut iam dictū est,
 non latius protenditur, quàm à Deo ordina-
 tum est. Quare si quis incredulorū aut here-
 ticorum externa conversatione vitā integrè
 & honestè coràm mundo traducit, nihil pec-
 cans in civiles cōstitutiones, nihil iuris puni-
 endi in illum habebit gladius. Quid enim ad
 Magistratum attinet incredulitas, aut here-
 sis? *Quæ*

sis? Curet potius ut pacem in mundo conser-
 vet, & externam morū honestatem: nec se ei
 rei admisceat, quæ nihil ad se pertinet. Est
 quoq; res periculosa (quod aiunt) alea, quan-
 do Magistratus assævit ferro aut igne ullam
 aliquam fidem insectari. Nam tamen si nor-
 nūquam pravam fidem persequutus fuerit:
 attamen sic fieri possit, ut illorū successores in-
 sectationibus iam assueti, veram fidem pro
 falsa insectarentur, quemadmodū cū Arria-
 nis hereticis actum esse accepimus. Siquidē
 eo tēpore Episcopi suis persuasionibus huc in-
 duxerāt Romanum Imperatorem, ut passim
 Arrianos persecutionibus premeret atq; ex-
 tingueret. Tandem cū aliquot Imperatores
 insectandi rationem multa assuetudine sibi
 peculiarem fecissent, ac nōnulli ex illorū suc-
 cessoribus ab Arrianis fuissent persuasi, su-
 am opinionē veram & rectam esse: incipie-
 bant rectē credētes, & rectē docentes Episco-
 pos insectari, hereticos summo studio tueri.
 Quamobrem longē tutissimum est & certis-
 simum, ut civilis Magistratus suo fungatur
 officio, sinatq; spiritalia peccata etiam spiri-
 tali supplicio plecti. Multo enim satius est &
 prestabi-

*prestabilius, ut quater aut decies falsa fides
 toleretur, quàm quòd semel vera fides in-
 festationē patiatur. Iam ut ab hæreticis in ge-
 nere iterum orationem meã ad Anabaptistas
 cõvertam, dicunt plerique Anabaptistarum
 sectam non esse simpliciter malã heresim, sed
 habere multa adiuncta, ex quibus in magi-
 stratus supplicium labantur. Docere enim
 eos, quomodo facultates omnium communes
 habẽda sint, qua ex re fortasse originem tra-
 here possit seditio, &c. Cæterum huius do-
 ctrinæ gratia nullo iure de Anabaptistis ul-
 timum potest sumi supplicium. Nam quàm
 diu nõ docent, homines ad rerum communi-
 onem, aut æqualem distributionem adigen-
 dos esse, neque ipsi alios violenter ad id com-
 pellunt, neque cum illis violenter agendum
 erit. Hactenus enim religiosi, nimirum mo-
 nachi et moniales, ita docuerunt, ut si quis
 communibus cum ipsis sacris initiari concu-
 pisset, de rerum suarum proprietate discede-
 ret, & cum ipsis cõmuniter frueretur. Quo-
 modo ergo ista quadrant, aut cõveniunt, ut
 huius doctrinæ gratia Monachi pro doctis,
 sanctis, pijs et perfectis Christianis probetur:
 iam ve-*

iam verò contrà eiusdem doctrinae nomine
 miseri Anabaptistæ neci dentur, et periman-
 tur? Cum tamen Anabaptistæ suam mona-
 sticam & hypocriticam sententiã nulla ma-
 litia aut nequitia commenti sint, sed velut
 simplices & imperiti, è nonnullis sacra scri-
 pturæ locis perperam intellectis traxerint? Si
 propterea illicò quispiam morte malè andus
 esset, quoties in scriptura locum unum atque
 alterum non intellexerit: quis à gladio cer-
 vicem suam securam, aut liberã habere ve-
 lit? In omnibus ferè sanctis doctoribus repe-
 riuntur multi loci nō intellecti, propterea ne
 essent occidendi? Quæ verò hæc esset equi-
 tas? Quot circa ad hanc erroneam Anaba-
 ptistarum intelligentiam, amica et Christia-
 na pertinet institutio, & admonitio, & nul-
 lius gladij sevitia. Tam si persuasi, institutio-
 nem nostram receperint, nos aliquot Christi-
 anos lucrati sumus, estq; noster numerus au-
 ctior factus. Sin nostram admonitionem con-
 tempserint, relinquendi sunt suæ vesania, &
 pro ethnicis & publicanis reputandi. Verum
 ne sic quidem Magistratus intereēt, cuiquã
 inferre manus; donec errantes non in fide se-

lum erraverint, verum capitalia flagitia
 externè designauerint. Iterum dicitur, fie-
 ri posse, ut inde certa aliqua oriatur seditio,
 si Anabaptistarum numerus auctus fuerit,
 & ipsi alios vi possint opprimere, &c. Re-
 sponsio: Quis fit, ut hoc temporis tam acutè
 & ingeniosi facti simus, ut ob Anabaptista-
 rum doctrinam facultates temporarias atti-
 nentem, seditiois metuentes simus, neque
 idem illud antè monachis docentibus solliciti
 metuerimus? Nonne idem uerbi tunc locum
 habere potuisset? Quandoquidem ita mona-
 chi docent, & suis facultatibus communiter
 utuntur, ubi iam illorum grex factus fuerit
 numerosior, haud dubiè seditioem concita-
 bunt, volentes, ut quisque sua bona illorum
 exemplo cum ipsis in communem usum depo-
 nat. Et profecto sine omni seditioe, tantum
 doctrinae suae fermento & vitæ hypocrysi penè
 totius orbis opes ad se pertraxerunt, pro qui-
 bus impostores illi cælum nobis vanum expo-
 fuerunt, & vitam eternam venalem habu-
 erunt. Adeo, ut si alterutra pars huius doctri-
 nae nomine neci danda foret, citius omnes
 Episcopi et monachi extinguēdi essent, quàm
 miseris

miseri illi Anabaptista, qui nullum cœlum,
 aut immortalitatem unquam fraudulenter
 hominibus vèdiderunt. Accedit his, si omnia
 gladio coercenda essent, ex quibus temporis
 progressu haud dubiè futura seditio oriri pos-
 sit: tum omnia publica symposia, omnes com-
 messationes & convivia, omnes conciones &
 mercatus; omnes Ecclesie congregationes
 vi atque pœne irrogatione abolende fœrent.
 Multis enim experimentis didicimus, in non
 paucis symposiis ortas fuisse seditiones, in
 non parum multis mercatibus tumultus esse
 concitatos; Immo in multis Ecclesiis clan-
 cularias coniurationes esse factas. Præterea
 Davidis interfuisset, ut omnibus sacris Iu-
 daeis interdiceret, quippe filius eius Absolon
 suam seditioem inter sacrificandum in He-
 bron conflagraverat. Et quod plus est, omni-
 bus hominibus corda essent eruenda, postea-
 quàm omnes seditiones è corde suam tra-
 hunt originem. Fieri potest, ut multi faci-
 norosi latrones sectæ Anabaptistarum semet
 adiungerent, qui nihil aliud quàm seditiosos mo-
 tus; aut alia flagitia volvunt in animo. Nos
 verò ià de ratione eius rei, et sectæ ipsa, quan-

tum ad se attinet, verba facimus, & non privatim de facinorosis latronibus. Videmus nullam fidem, nullam hominum conditionem aut statum tam bonum esse, cui se non admisceant nonnulli homines nequam, & parum bonæ frugis. Qui fieri possit, ut non etiam erronee alicui se& se admiscerent homines mali & nihili? Quare si omnino decretum est, uti supplicij sevitia, mali & criminosi afficiantur supplicio, simplices verò & imperiti nulla premantur iniuria. Certum enim est, mira simplicitate viros, mulieres, virgunculas, qui per omnem vitam infensi fuere discordiæ, in eum errorem incidisse: qui verò iustum esse possit, atque adeò æquum, ut tales alicò veluti seditiosi ad mortem raperentur? Deinde obijcitur & illud: Si Anabaptistæ inquirunt, Magistratibus huius doctrinæ gratiã, qua facultatum communionem esse debere affirmant, puniendi non sunt: in hoc tamen noxam graviter animadvertendam incurrunt, docentes, nullum Christi anum Magistratus officijs fungi posse. Adhæc nolunt principibus, ut subditi in civilibus possessionibus, semet ulla iuramento aut sponsione ob-

noxios

noxios facere. Sanè ista inficiari nō possumus: ista enim & docent et faciūt. Sed si propterea perimendi sunt, aut è medio tollendi, iam dudum à religiosis, nempe sacerdotibus & monachis, inceptum oportuit. Siquidem religiosi, qui hactenus præ alijs hoc nomen obtinuerunt, omnium maximè huic culpa sunt obnoxij, qui hactenus semper ita docuerunt, & opere doctrinam suam quoque compleverūt. Sunt enim illi ipsi qui dixerunt & docuerunt nullius religiosi interesse, ut pœnali iudicio morti quenquam adiudicet, aut de sanguine ferat sententiā, neque citra dispensationem eiusmodi ad sua sacra et ordinē admiserunt. Quid verò hoc aliud est, quā omnibus Christianis magistratus officijs aut functionibus interdicare, posteaquàm omnes yvnoijs Christianos verè religiosos esse oporteat, neq; Magistratus functio citra sanguinis effusionem administrari potest? Illi quoque tales sunt, qui nullo iureiurando, aut sponsione, aut alio quovis civili onere cōmuniter cum alijs ferendo semet unquā Magistratibus subiectos obstringere sustinuerunt. id qđ nullo permisu aut favore Magistratus factū est, sed pro-

prie voluntatis ductu atque libidine. Quin
 etiam, si ad tale aliquid quod Magistratibus
 prestandum fuerat, adacti sunt, Principes et
 magistratus anathematis sui fulmine ictos
 compescuerunt: quemadmodum hoc ipsum
 clarè in Decretis Pontificis memorie proditum
 invenitur? Iam si quis eam ob rem occidendus
 est, quis iustius supplicio afficiendus erit, quàm
 ordo religiosorum? Posteaquam religiosi non
 minus hac in re erraverunt, quàm Anabaptista-
 rum colluvies. Neque à veritate discrepat, quod
 utriusque in hac re affirmant, & religiosi & Ana-
 baptiste: verum neutra pars sanè interpreta-
 tur, sed planè falso exponunt, ut pleraque o-
 mnia. Quippe Christianus, ut Christianus,
 non potest uti gladio, aut quèquàm perimere. Est
 enim Christiani, esse mitem & humilem, qui
 non prolixè aut gravatim ignoscat, qui ma-
 lum patienter sufferat, qui pro inimico De-
 um exoret. In hoc tamè errant Anabaptiste,
 cum dicunt Christianum, ut Magistratus fun-
 gentem officio, non posse uti gladio. Siqui-
 dem Deus ordinem Magistratus instituit, po-
 test què Christianus hoc officio equè, atque etiam
 iustius, fungi, quàm alius non Christianus,

aut ethnicus. Neque illud diffiteri possumus, spirituales Magistratum, hoc est episcopum, parochum seu predicatorem, spiritualis officij gratia posse aut debere uti gladio. Nam Christus dum Apostolis, seu predicatoribus Evangelium annunciandum in mandatis dedit, non eadem quoque opera illis liberum fecit propriae potestatis usum, quo inducti veluti civilis Magistratus uterentur gladio. Quocirca ne in eam venirent cogitationem, suscepta potestate Evangelium predicandi, ac homines verbo Dei à peccatis ligandi & solvendi, eadem ratione quoque potestatem haberent pro se utendi gladio; Christus illis interdicit usu gladij. quod non ad illorum personam tibi referendum est, si ad Rempub. capeffendam, seu Magistratum obeundum eligeretur, aut à Magistratibus ad hoc vocarentur: sed ad illorum officium, nimirum Apostolis ideo à civilis Magistratus officijs temperandum est posteaquam potestatem spiritalem susceperunt; perinde ut Papa in suis decretis se iactitat. In hoc verò religioso turpiter errantes impegerunt, cum docuerint se nedum propter officium, verum etiam

ob unctā personam nō audere ultā sententi-
 am iudicio condemnati pronunciare, & gla-
 dio uti. Iam si ob unum aliquem errorem sta-
 tim quispiam vita spoliandus est, parcendum
 erit nemini. Sed quid hac in re statuendum,
 aut faciēpum est? Etenim Anabaptiste Ma-
 gistratibus neq; iurare, neque spondere quic-
 quam decreverunt? Responsio: Quemadmo-
 dum cum religiosis hac in re agitur, parira-
 tione quoque cū Anabaptistis agatur. Et cum
 civilem obedientiam prestare recusant, ci-
 vili quoque libertate priventur, ac pro pere-
 grinis reputentur & tractentur, qui in ali-
 quod oppidum delati habitāt, neque tamen
 eius loci Magistratibus semet ullo iuramento
 aut sponsione addixerunt, aut subiecerunt,
 Neque hac citò facient ea de re compellati,
 sed ad eam excusationem fugient: se civita-
 ti aut Magistratui fidem dedisse ac iurasse,
 quare hic non posse denuò iurare. Itaq; sum-
 ma pœna, qua eius generis aliquis possit affi-
 ci, hac esset, ut illi civilibus commercijs inter-
 diceretur. Quicquid illi præterea per iniuri-
 am obiectum fuerit, ex tyrannide fit & vi,
 & nulla equitate. Cur ergo in eiusmodi casu
 Anaba-

Anabaptista acerbiorē supplicio adficiendus est? Ceterum summum & maximum hac in re ius est Cæsareum, quo se tuentur nunc plerique, existimantes Anabaptistas Magistratibus ob hoc puniendos esse, adeo ut iure eam pœnam sufferre videantur. Quia verò de eius legis intellectu nobis loquendum est, opere precium visum est, eam legē hic subycere. Adhunc verò modum scripta est libro primo Codicis, Ne sanctum baptisma reiteretur, Legge secunda:

**IMPP. HONOR. ET THEOD
A. A. Antonio Præfecto
Prætorio.**

S*I quis rebaptizare quempiam de ministris catholice sectæ fuerit detectus, unà cū eo qui piaculare crimen cōmisit, si tamen capax criminis sit per ætatem, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur. Hec est illa lex Cæsarea, ut in literis comprehensa est. At primum quidem non de omnibus Christianis*

E U COMMUNIS

communiter loquitur, qui rebaptizatur, sed de ministris tantum Ecclesie catholice, quales sunt Acolythi, Lectores, Exorcista, Ostiarij, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi. Adeo, ut si haec lex non alium in se sensum, aut intellectum complectitur, tantum illi poena percellendi sunt, qui ministrum aliquem Ecclesie, & non alium quempiam Christianum rebaptizarunt: deinde de illis quoque loquitur, qui in ipso facto Anabaptismi manifestò deprehenduntur, & non de illis qui iam rebaptizati sunt, Ex hoc facile estimare licet, hanc legem magis pro terrore incutiendo rogatam esse, quam quòd hi qui rebaptizati sunt, supplicio ullo afficiantur. Nam cù fortasse id temporis Anabaptismus valde foret in usu & crebrò fieret, neq; tamè aperte fieret, voluit Caesar Anabaptistis lege occurrere, ut poenā quoque talibus terrendis luendā proponeret, nimirū si rebaptizati manifestò deprehenderentur. Nō secus, quā in lege Mosiaca patrifamiliās permissū erat, ut furē manifesto in aedib. suis deprehensum occidere possit: orto verò sole, impunè dimitteret. Tertiò, ut maximè hac iā dicta locū nō haberēt, tamen

tamen presens lex de nudo & simplici An.
 baptismo intelligi non potest. Siquidem in an-
 tiquis historijs de isto Antonio presecto pra-
 torio, ad quem Caesarès hanc legem perscri-
 pserunt, ad hunc modum legitur: videlicet
 illū fuisse suae aetatis virū prudentissimum, ac
 Caesarem Theodosiū sine eius consilio nihil
 prorsus egisse, aut statuisse, sed Antoni ductu
 & auspicio omnia fuisse confecta & ordina-
 ta. Et postea de Theodosio quoq; ita literis ac
 memoriae proditum est, videlicet illum fuisse
 summam pietate virū, qui tāta honestate, inte-
 gritate & sanctimonia autā suā rexerit, ut
 aula sua magis cœnobiū quā regia existima-
 ta sit. Adhac ita sanctam scripturā ad unguē
 calluisse legitur, ut eādē ad verbū memori-
 ter recitare nosset, &c. Quae omnia illud non
 obscure testantur, hac in lege nihil imprudē-
 ter aut impiè esse præceptū atq; statutū. Illud
 verò nedū incogitanter aut insipienter, ve-
 rum etiam impiè actū esset, ut errantē tantū
 simplicis erroris gratia carnifici ingulandū
 obiceremus, cū tamē adhuc ad sanam mentē
 et sententiā possit retrahi: aut si hoc nō fieret,
 qui saltem Evangelio puniendus reservatus
 sit.

sit. Quamobrem apparet hanc legem alia
 ratione conditam, ac aliam causam innuere,
 quàm nudè & simpliciter Anabaptistarum
 gratia fuisse rogatam. Sed huius cause nulla
 fit mentio, Leges enim Cæsareæ, ut nunc in li-
 bris extant, tantum è fontibus et veris libris,
 iam nunc non amplius extantibus, epitome
 quedam sunt summatim excerptæ. Quapro-
 pter nedū in hac lege tantum, verum in mul-
 tis etiam alijs contrariæ & pugnantes inter
 iuris peritos opiniones oriuntur, posteaquã fon-
 tes non amplius extent, & vera exemplaria:
 nec causa precedentis et sequentis rei, ad sen-
 sum legis plenè intelligendum sciri potest. Et
 quòd hac lex nõ nudè de Anabaptismo accipi-
 enda sit, ex hoc non ambiguè notari potest:
 nempe ex lege hãc proximè precedēte, in qua
 Valentinianus & Gratianus Cæsares ita di-
 cunt: Episcopum qui abusu non debito denuò
 rebaptizaverit, sacerdotio indignum existi-
 mamus. Ilorum enim errorem cõdemnamus,
 qui Apostolorum præcepta conculcant. Et illi
 qui semel Christiani nominis Sacramentum
 suscipiunt, multo plus Anabaptismo, sub no-
 mine baptismi semet turpiter contaminant,
 quàm

quàm emundant. Hi duo Casares contenti sunt; rebaptizãtem episcopum suo officio indignam existimare; & eius errorem refellere. Qui ergo alij duo tam efferata esse possint tyrãnidis, ut propter simplicem Anabaptismũ, miserum populum morte mulctandum condemnarent? Potest etiam hic sensus ex sequenti lege tertius elici. nã in subsequentibus scriptam est lib. i. Codicis, titulo de Apostatis, ad hũc modum: Si quis in honesta lege comprehensus fuerit, ac tãdem è Christiano in Iudaismum relabatur, ac semet blasphemæ illorum Synagoga adiunxerit; illius bona publicitus diripienda mandamus. Hic Casarea legis sensus est de Apostatis. Iam verò utrum maius est, si quis tantũ uno Sacramento abutatur, aut si quis prorsus à fide desciverit? Haud dubiè stultus quoque nullo iudicio præditus; intelligere possit, gravius vitium esse à fide desciscere, quàm solum ex imperitia uno Sacramento abuti. Qui ergo graviore & acerbiori supplicio puniendus esset ille, qui Sacramento abutitur, quã qui à tota fide semel desciverit? Si omnes illi morte forent afficiendi, qui Sacramento nõ reetè & indignè utuntur, quot-

Quotnam quot annis concremandi, aut deco-
 landi fuissent, qui parum dignè ad venerabi-
 le Sacramentũ corporis & sanguinis Christi
 accesserunt? Quin etiam neq; ipse, neq; epi-
 scopi, manus carnificis possint aufugere, qui p-
 pe qui Christianis Sacramentum sub utraq;
 specie sumendum prohibuerunt: quod non
 solum non rectè factum, sed Christi instituti-
 oni planè ex diametro contrarium est. Pro-
 pterea ius Cesareũ omnes alios hereticos gra-
 viore pœna nō adficit, quàm quòd omnibus
 Cesareis privilegijs orbi esse cogantur. Quĩ
 ergò tam acerba pœna Anabaptistarũ error
 esset emendandus? Si tamen omnino Anaba-
 ptistas excarnificare decretum est, tum is-
 dem tormentis etiam Papa, & omnes eius sa-
 cerdotes excrucianti sunt. Nam illi permut-
 tos rebaptizarũ, videlicet si puer recens na-
 tus domi urgente necessitate baptizatus fue-
 rit à mulieribus, hunc de integro ad Ecclesi-
 am delatum rebaptizant. Hoc verò nõne
 equè rebaptizare est, quàm quod Anabapti-
 ste faciunt? Addunt equidem ista verba, Si
 baptizatus es, ego te non baptizabo: sin non
 baptizatus es, ego te baptizabo in nomine

patris, &c. Quorsum verò opus est sacerdoti-
 bus hoc additamento? Noverunt enim planè
 è mulierum relatu, pueros esse baptizatos:
 cur ergo semel mulierum opera baptizatos
 infantes rebaptizant? Neq, dicunt Anabap-
 tiste, se iterum baptizari, sed omnium primum
 rectè baptizari. Existimant enim, infantium
 baptismum nullum esse baptismum: quemad-
 modum Papista ferè mulierum baptismum du-
 cunt pro nihilo, tametsi hoc ipsum externè non
 indicent. Accedit his omnibus, quod de san-
 cto Cypriano martyre legitur, quem spectata
 sanctimonia Episcopum fuisse Carthagine cer-
 tum est, qui unà cum toto Concilio habita
 deliberatione, statuit, eos qui antè ab here-
 ticiis fuissent baptizati, ac tãdem veri Chri-
 stiani effecti baptizandos esse. Et quanquam
 omnes, hac in sententia hallucinatos esse ne-
 gare non possumus, nemo tamen propterea à
 quoquam diabolo micipatus est, tantum abest
 ut quispiam morte mulctatus sit. Immo Cypri-
 anus, quem eo in concilio caput fuisse, historia
 perhibet, etiamnum hodiè ab omnibus sanctus
 martyr esse creditur. Itaque cum Anabaptistæ
 sui erroris, & instituti, tam præclarum, san-
 ctum

Etiam & doctum virum & martyrem, com-
 munem quasi authorē habeant, quid sibi vo-
 lunt Christiani, ut semet inter se tam crude-
 liter perimāt? Ex his omnibus iam supra me-
 moratis facile est animadvertere, Cæsaris cō-
 stitutionem, in qua Anabaptistas capitis con-
 demnat, nō nudè ad Anabaptismū respicere,
 sed ad aliud quoddam externum flagitium,
 hīc nusquam expressè positum, quod tunc tē-
 poris Anabaptismo adhesisse credibile est. A-
 lioqui enim omnem humanitatem et equita-
 tem tam clemens Cæsar excessisset. Sin ista
 lex nudè respicit ad Anabaptismum, non ali-
 unde quàm cruentorum Episcoporum instin-
 tu rogatum esse iurare ausim: quorū magnū
 numerū sub Theodosio fuisse nō ignoramus.
 Neque res erat magni negotij, horum Cæsa-
 rum animos flectere. Cum enim Cæsares ad-
 huc essent Christiani novitij, statim episco-
 porum verbis movebantur: existimantes, nihil
 non esse Dei verbum, quicquid ab Episcopis
 respiciam fuisset prolatum. Legitur enim in fi-
 de dignis historijs, tempore Theodosij episco-
 pū fuisse Synnade, qui usq; adeò fertur inse-
 ctatus esse hereticos, quos Macedonios nomi-
 nant.

nant, ut etiam è possessionibus suis eos detur-
 baret. Insuper Constantinopolim horum gra-
 tia profectus est, ubi tunc Cesaris aula erat:
 ibi omnes Cesaris prefectos adversus hereti-
 cos persequendos sibi adiunxit. Quod factum
 ea in historia episcopo summè probro datum
 est, ut qui hac in re parumpiè aut Christianè
 egerit. Ac postea non dissimile factum de epi-
 scopo Nestorio legitur. qui cum Constantino-
 poli electus esset in Presulem, ad eundem Theo-
 dosium inter concionandum ita dixisse fer-
 tur: O Cesar, da mihi regionem ab hereticis
 purgatam, & ego tibi cælum daturus sum.
 Sis mihi in auxilio in oppugnandis hereticis,
 & ego tibi in Persis hostibus tuis devincendis
 opem feram. Hanc episcopi orationem, mul-
 ti cordati viri agrè ferebāt. & quanquā ne-
 mo hereticorū favebat vesania, tamē episco-
 pi levitas, imò erga Cesarē audacia, nemini
 non displicebat. Quapropter si episcopi Cesa-
 rem Theodosium, ita nare veluti bubalum
 traxerunt, ac illic cælum polliciti sunt: mira-
 bile non erit, si eiusmodi lex suo tempore ad-
 versus Anabaptistas rogata sit. Sed est ne pro-
 pterea ista lex pro sancta & inculpata repu-
 tanda

*randa, que sanguinolentorum episcoporum
 instinctu condita est? An non potius illud hac
 in re respiciendum fuerit, quid Christianum
 Magistratum deceat, quam quid violenta
 tyrannide extorqueri possit? Multo enim ma-
 gis Christiano Magistratui convenit, ne tam
 sit sanguinis cupidus, atque ethnicorum esse so-
 lent. Convenit quoque illi, ut etiam velut
 Christianus, animarum salvandarum cu-
 ram agat, & non ut tyrannus semper rem ge-
 rat sevitia. Qui vero illud dici potest, salu-
 tem animarum quæsisse, si miseri Anabapti-
 ste, qui tantum simplicitate perversi intelle-
 ctus scripture in errorem prolapsi sunt, statim
 gladio carnificis docentur & corripuntur?
 Et profecto à miseris hominibus nulla adeo
 timenda esset seditio, si alioqui gladio rectè
 uteremur. Quin potius Magistratus vigi-
 lantius quæ sibi agenda sint prævideat, suoque
 officio fungatur cogitantius, neque miseros per
 tyrannidem opprimat, neque egenum assiduis
 exactionibus compilet: sed pupillos ac viduas
 fideliter defendat, citra personarum respe-
 ctum iudicet, id quod sui officij functio desi-
 derat. hoc facto, nihil est quod ullam seditio-
 nem*

nempe timeſcat. Mali homines nullius ſedi-
 tionis authores ſunt: ſed ſi veritatem fateri
 liberè volumus, mala & vitioſa vita princi-
 pum & Magiſtratum. Sunt quidē mali ho-
 mines instrumenta ſeditionis: ceterū mala
 vita Magiſtratum una præcipua cauſa o-
 mnis ſeditioſi tumultus & motus eſſe ſolet. E-
 ius rei comprobanda certiffimum exemplum
 exhibet rex David: qui ſi non peccaſſet adul-
 terium committendo, & Vrie ſanguinem in-
 nocenter effundendo, Abſolō filius ſuus nun-
 quam tantum potuiſſet, ut concitata ſediti-
 one patrem proſequutus fuiſſet, etiam ſi ad-
 huc maioris fuiſſet audaciæ et malitiæ. Qua-
 mobrem Magiſtrati ſupplicij ſævitia erga
 ſimplices Anabaptiſtas mitiganda & tollen-
 da eſt, ac eos Evangelio puniendos relinquat.
 Aliàs verò gnæviter det operã, ut pacatè &
 honeſtè cōcordes vivāt omnes. Nam qui ad-
 verſus communē tranquillitatem & Magi-
 ſtratū peccaverit, ſive baptizator ſeu reba-
 ptizator fuerit, ille meritum ſupplici-
 um ab illo ſufferendum ſibi
 non ignoret.

ERASMUS IN SUPPUT.

Err. Bedæ.

Paterfamiliâs, id est, Deus non vult pseudoapostolos & hæresiarchas extinguere, sed tolerari, si fortè resipiscant, & ex zizaniis vertantur in triticum. Quod si non resipiscant, serventur suo iudicio cui pœnas dabunt aliquando. Hic primùm ex postulabo, an probet Domini parabolam de zizaniis & tritico, an non: si probat, ut facit opinor, pergam rogare, probetne veterum orthodoxorum interpretationem, præcipuè Hieronymi & Chrysostomi, an non? nam horum posterior multis etiam verbis inculcat, Dominum prohibuisse, ne hæretici occiderentur, inter multa sic loquens: Non prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi cōcidere, verum interficere aut trucidare. Ergo si iuxta sermonem Evangelicum, iuxta veterum ac probatorum interpretationem rectè sum interpretatus, agrum esse Ecclesiam, semen doctrinam Evangelicam, patremfamiliâs esse patrem cœlestem, aut si mavis Christum, servos patrisfa-

familiās esse Apostolos & præsides Ecclesie, malum hominem esse diabolum, zizania esse doctrinā hereticorum, messem seculi cōsummationem, messorum angelos Dei: quorsum attinebat hic nobis occinere, Vuiclevos, Bohemos, Lutheranos damnatos, schismata Imperatorum, & Ecclesie leges? An ego gladium excutio de manibus Principum, quem habēt & ethnici, permissu Dei ad vindictam malorum, laudem verò bonorum? Quamquā & Christianos principes oportet esse contabundos ad occidendum, si queant alia via sanari qui peccarunt. An episcopis suam auctoritatem eripio, docendi, corripiendi, excommunicandi, & si quid præterea iuris habent? Quas autem mihi narrat Ecclesie leges? An leges Ecclesie sunt, quēquam ultricibus tradere flammis? At veteribus episcopis ultima pœna erat anathema. Augustinus etiam pro Donatistis plusquam hereticis, hoc est, seditiosis latronibus, intercedebat apud Cæsaris præfectos, ne trucidarentur. addit causam, ne non essent qui possent sanari, demonstrans Ecclesie profuisse pertinaciā hereticorum. Idem fatetur, multos tolerari in Ecclesia la-

borantes errore in fide, quòd non redderent
 multitudinem in se intentam. Nec damnat,
 si Deus concitet animos Principū, ad cohercē-
 dos eos qui turbant Ecclesie trāquillitatem.
 Sed quis unquā audivit orthodoxos episco-
 pos cōcitasse reges ad trucidandos hereticos,
 qui nihil aliud essent quā heretici? Hereticus
 autē nō ferendus est Augustino, qui ob ambi-
 tionē aut principatum, aut aliud cōmodum
 temporarium colligit erroris sui discipulos.
 Quod si res exeat in seditiosos tumultus &
 utraq; pars clamitet, se tueri partem Ecclesie
 catholice, re non dum satis discussa, princeps
 utramq; partem debet cōpescere. Quid autē
 vetat, ne princeps hereticos, turbātes publi-
 cā trāquillitatē, tollat è medio: quū idē ius sit
 etiā ethnico principi, et idē ius sit nostris prin-
 cipibus in orthodoxos? Caesar iussit puniri he-
 reticos: sed addit, legitimè convictos & per-
 tinaces. At episcoporum est, quod quidem in
 ipsis est, docere, corrigere, mederi. Qualis au-
 tem est episcopus, qui nihil aliud possit quam
 vincere, torquere, flammis tradere? Quod
 si qui tractant hoc negociū, tales essent, qua-
 lem se declarat in hoc libello Beda: hoc est, se-
 tantum.

tantum spirarēt odij, si tantum haberent im-
 pudentia, tam impotens calumniandi studiū,
 tā corruptū iudiciū, ut videatur citius decē
 propulsurus in heresim, quàm unum revoca-
 turus: nōne bellè ageretur cum delatis? Nisi
 fallor, primū designaret cui malè vellet, eū
 delatum clam curaret rapiendum in carce-
 rem: ibi quæreretur articuli tales, quales plu-
 rimos obijcit mihi, partim falsos, partim de-
 pravatos. Disputatio si qua fieret, per agere-
 tur in carcere. Si qd hisceret cōtra, mox accer-
 sitis tribus delectis monachis, pronūciaretur
 sentētia definitiva: qd reliquū est per ageret
 carnifex. Vbi Theologus defert, rapit in car-
 cerem, urget accusationē damnatū tradit iu-
 dici pphano: iudex nō ex sua cognitione, sed
 ex Theologi praiudicio tradit flāmis, Theo-
 logus velut autor & executor præsudet sup-
 plicio: quæso quantulū abest ab effusione san-
 guinis? præsertim si res p odij, ambitionē, aut
 avaritiā geratur. Fortasse Beda non est talis
 in cæteris item negotijs, qualis est in hoc libro.
 Attamē talē ego novi quendā, à cuius nomi-
 ne tempero quod iam abijt in locū suum: in-
 fœlix. si tālem experiatur iudicē Deū, qualis

ipse fuit aliorum. Hæc nequaquam loquor in
 favorem hereticorum, quòd hominum genus
 execror, ut si quis alius: neq; me patrono quis-
 quam habebit mitius, si modò verum cogno-
 vero hereticum, hoc est, malitiosè errantem,
 factiosum & immedicabilem: nec ideo præ-
 dico mansuetudinem in hereticos, ut experi-
 ar ipse. cum Augustino clamo, Errare possum,
 hereticus esse nõ possum. Et ita me gessi in hoc
 orbis dissidio, ut & Cesari & Rom. Pont. vi-
 dear probasse sinceritatẽ meam, quando qui-
 dem uterque mihi gratias agit: etiamsi quod
 feci non potui sine scelere prætermittere. Ac
 fortassis ipsum tempus aliquando faciet, ut
 plures approbent in hoc schismate studium
 & animum meum. Proinde quæ hic conge-
 rit Beda, quòd ego doceo, tolerandos quamli-
 bet facinorosos, aliaq; dictu atrociora, meræ
 calūniæ sunt: ut paraphrastes bona fide, quod
 erat in Evangelio reddidi, non digrediens à
 veterum Ecclesiæ doctõrum vestigijs, nec au-
 sus hoc commentum quod adfert Beda, ver-
 bis Evangelicis assuere. Res agitur sub per-
 sona Christi. Quem igitur sermonem illi de-
 bebat affingere Paraphrastes? Tolle ziza-
 nia,

nia quū tutū fuerit, & in ignē conijce. Nam hoc vociferatur, Christum sentire. Sed hoc apertè vetat, ne faciant famuli. Quam verò constat Bedæ commētum, quum tutò licebit? Quur igitur Dominus ipse iubet expectari messem? Messem autem ipse interpretatur, esse consummationē seculi. Quur vetat, ne ante tempus id servi faciant: redditq; causam, cur id nolit fieri? Quid autem facient angeli, si interim per servos tollantur heretici? Nisi fortè Beda volet hoc de omnibus facinorosis accipi, quod ego propriè ad pseudo-postolos & hereticos accommodo. Sed aliud, inquit, nunc facit ecclesia, aliud docent pontificū decreta. Hoc nihil facit ad meam paraphrasim. Neq; enim ea dicuntur sub Erasmi persona, sed sub persona Christi: nec dicuntur hoc seculo, sed illo quum esset martyrijs plantanda, sanguine riganda, rudis Ecclesia: nec hæc dicuntur multitudini, aut principibus, sed selectis discipulis, quibus datū erat nosse mysterium regni Evangelij. Proinde Beda satis calumniosè recitat ac tractat hæc verba, quasi nunc à me dicantur, doceamq; non esse puniendos hereticos. Nec interim

F v *distinguit*

distinguit inter censuras ecclesiasticas, & inter capitis supplicium civilibus legibus irrogatum. Parumq; tempestivè nobis citat Deuteronomij decretum, de tollendo propheta, quasi nunc Ecclesia vibraret utrunque gladium. Ad hæc Evangelium: Dic Ecclesie: quod si non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus. quasi hic ulla sit incendiij mentio. vitari iubentur, non exuri. Rursus Apostolum: post unam & alteram correptionem de vita, An devitare, est in ignem conijcere? Iterum, Auferte malum ex vobis ipsis. num auferte valet idem, quod occidite? Id si fuisset factum, non fuisset quem posterioribus literis iam correctum commendaret usdem Corinthijs. Iam quod adfert ex eodem, Arma militia nostræ non carnalia, sed spiritualia, &c. facit adversus id, quod Beda proposuit. nisi fortè tam impudens est, ut dicat, me functionem omnem & auctoritatem adimere viris ecclesiasticis. Iam Petrus non tulit sententiam in Ananiam & Saphiram: sed afflatus spiritu, Dei vindictam denunciavit. Id si placet in exemplum rapere, rapiatur & illud, quod idem Petrus excitavit mortuos, umbra sanavit egrotos, verbo

verbo claudos erexit. Hac sæpè fecit, illud
 non nisi semel. Hic nobis occinitur illud cele-
 bratissimum dictum, *Vim vi repellere*. Quin
 potius occinitur illud, quod saltem apud Tho-
 ologos debuit esse celebratius: *Non resistere*
malo, & non vosmetipsos defendentes, cha-
rissimi? Iam omnibus verbis, quæ Beda sele-
 git ex Augustini libris, prætermisissis, quæ faci-
 ebant pro diversa sententiâ, nulla est mētio de
 occidēdo, sed de puniēdo. Sic puniebātur Do-
 natista, facultatibus quas habebāt illorū ec-
 clesie, translatis ad ecclesias orthodoxorū: &
 actis in exilium, qui non desinerent turbare
 publicam tranquillitatem. Possē excutere,
 quæ tradit Augustinus in Epistola ad Bonifa-
 cium comitem. nam eiusmodi multis utitur
 argumentis, quibus deberent & Turcæ &
 Iudæi mortis metu cogi ad fidem, si de suppli-
 cio capitis interpretemur. Verū hoc non
 sentire Augustinum, arguit quòd ait, dociles
 esse revocandos, indociles primū metu co-
 gendos, mox docendos. Adducit exemplum
 Pauli prostrati, ac mox ad Ananiam ire iussi.
 Quis docet interfectos? Quis erigit occisos?
 In Epistola ad Marcellinum, quæ est numero
 centesi-

centesima quinquagesima septima, cantio-
nem canit, longè dissonantem ab ijs quæ do-
cet Beda. Magna enim sollicitudine agit, ut
in eos qui plus quàm supplicio capitis digna
commiserant in Christianos, citra capitis
supplicium animadverteretur. Cuius inter
multa sunt hæc verba: Si autem nec literis
meis ad hoc consenserit, hoc saltem præstet,
ut in custodiam recipiantur: atq; hoc de cle-
mentia Imperatoris impetrare curabimus,
ne passiones servorum Dei, quæ debent esse in
ecclesia gloriosæ, inimicorum sanguine de-
honestentur. Scio enim, in causa clericorum
amanuensium, qui occisi à gentibus, nunc
martyres honorantur, Imperatorem roga-
tum facile concessisse, ne illi qui eos occide-
rant, & capti iam tenebantur, pœna simili
punirentur. An Augustinus, qui sicarijs
Donatistis vult parci, qui putat servorum
Dei gloriam inimicorum sanguine dehone-
stari, sensisset simplicem hereticum,
quamvis pertinacem, flammis
exurendum?

IDEM ERASMVVS, IN RE-
sponſione de Inquiſitione.

Quoties mecum reputo, quàm execran-
daret ſit hæreſis & ſchiſma, non poſſum
damnare legis, licet durum cauterium: rur-
ſus ubi conſidero, qua manſuetudine Chri-
ſtus plantarit, aluerit, pro vexerit, conſtabi-
lieritq; ſuam eccleſiã multis ſeculis, vix re-
perio, quomodo tuear exemplum, quod hodiè
videmus in nonnullis, qui ob opiniones ſcho-
laſticas ilico pertrahunt ad carceres & in-
cendium. Veluti nunc exuri videmus ſacer-
dotes, qui puellam, qua cum habent conſue-
tudinẽ, malunt uxorem appellare quàm con-
cubinam. Equidem talibus mederi ſoleo, non
patrocinari. nec in hoc hæc mihi dicuntur,
quòd tales velim impunitos eſſe: tãtum illud
admiror, quomodo tanta ſeveritas conveni-
at cum eccleſiaſtica manſuetudine. Non eſt
meum, probare aut improbare principum
mundanorum leges. habent ſuum ius, habent
ſua concilia: habent ſuum iudicem, cui red-
dituri ſunt rationem. Mea paraphraſis E-
vangelicæ parabole ſenſum explanat: qui ſi
verus

verus est, si Christo dignus, si probatis ortho-
 doxis interpretibus placuit, si multis seculis
 usu ecclesie comprobatus est, quur reprehен-
 ditur? aut si reprehendendus est, quur nō pa-
 riter in ius vocantur & illi? Usque ad eta-
 tem Augustini, hoc est, plus quam quadrin-
 gentis post Christum natum annis, nusquam
 legimus orthodoxos implorasse Cesaris præ-
 sidium adversus hæreticos quum id frequē-
 tissimè factū esset ab ipsis hæreticis. Nunquā
 tamē hoc exemplum imitari visum est ortho-
 doxis, donec Donatistarum & Circumcellio-
 num hac perpelleret perticax & insanabilis
 insania, nimium diu tolerata. Nam præter
 schisma, quo non aliud exitiabitius, si proces-
 sisset, agitabant, vulnerabant iniecta in ocu-
 los calce, aceto temporata, exoculabāt ortho-
 doxos, alios occidentes, alios ad homicidium
 metu mortis adigentes. nec mitiores erant in
 seipsos quam in alios, ultrò sibi vel gladio, vel
 si gladiorum nō esset copia, precipitio necem
 accersentes. Quid multis? tanta erat rabi-
 es, ut nec ab ethnicis principibus tolerari des-
 buerint, nec à Christianis, etiamsi nulla fuis-
 set hæresis aut schismatis crimen. Per hoc
 quum

quum nulli liceret esse quieto, nec ullus esset
 insaniendi modus aut finis, tandem inter E-
 piscopos agitatū, de implorando Caesaris præ-
 sidio adversus Donatistarum intolerabilem
 improbitatem. Mansuetioribus, inter quos
 fuit divus Augustinus, nō placuit implora-
 tio prophanæ potestatis, ad negotium ecclesi-
 asticum: existimantibus non decere Episco-
 pos, alijs armis uti, quàm verbo Dei, preci-
 bus: & si malū foret insanabile, anathema-
 te, hoc est, separatione à communione. Hoc
 tum erat extremum ecclesie supplicium. &
 sicut apud Iureconsultos, civilis mors dicitur
 exilium: ita apud Apostolos, & horum suc-
 cessores, pœnā capitis erat, ab ecclesie confor-
 tio submovisse. Ad hanc sententiam non so-
 lum invitabant exempla Christi, Apostolo-
 rum & martyrum, verum etiam metus pro-
 pellebat: considerantes fore periculum, ut se-
 ageretur terribilius, pro hereticis fidos ha-
 berent Christianos, maiore Christiani gregis
 pernicie. Verū ubi vicisset aliorū sententia,
 resq; benè cessisset multis hac severitate cor-
 rectis, q; vel invitati māserāt in ea factione, vel
 ambigui, vel errore modò seducti, fortiter
 probavit

probavit Augustinus, quòd prius improba-
 verat. Sed tamen adversus tam furiosos la-
 trones, ac sicarios veriùs quàm hereticos, lex
 meo iudicio nimium mitis lata est, quæ pri-
 mùm nec corpus cuiusquam attingeret, nec
 quemquam facultatibus excuteret: sed tan-
 tum ecclesiarũ hereticarum facultates, ad
 orthodoxorum ecclesias transferret: ad quas
 qui transire vellet, & ijs quas prius habue-
 rat, & ijs quas inveniebat uti fruiq; posset,
 tanta mansuetudine, ut nec clericis et Episco-
 pis resipiscentibus, suus honos adimeretur:
 tandem & multa cæteris indicta, nõ admo-
 dum gravi, qui quum essent pauci, nolent re-
 sipiscere. Et adeò nihil tentatum est, de occi-
 dendis tam immanibus beluis, ut quum prius
 edictum Macedonij, ni fallor, præsidis, sic am-
 biguis verbis esset propositũ, ut hereticis vi-
 deretur minari necem, ni resipiscerent: Au-
 gustinus illũ diligẽter admonuerit, ne quen-
 quam interficeret, quum hoc ius nec ex con-
 stitutionibus Cesaris haberet: laudatq; quòd
 edicto posteriore verborum ambiguitatẽ ex-
 plicuisset. Idem admonet, præter alios, Dulci-
 nium tribunum, ne quem capite plectat. Ex
 his sa-

his satis liquet, quantum illorum animus ab-
 horrerit ab hac confiscationum, carcerum,
 suppliciorum, incendiarum severitia, quæ nunc
 quibusdam & nimium & sola placet, præser-
 tim ex eorum numero, qui perfectionem
 Christianæ pietatis profitentur: quorum o-
 mne studium esse decebat, mederi potius quàm
 interimere, & legum severitatem interces-
 sione sua mitigare. Nunc etiam ultra Princi-
 pum edictum severitur ab istis clementie Ma-
 gistris. Item paulò post: Et olim in Synodo
 Episcoporum, hæretici citati reddebant suæ do-
 ctrinæ rationē: convictis libera erat optio, u-
 trum mallent ipsi suum dogma pronunciari
 anathema, an simul cum dogmate feriri a-
 nathemate, hoc est, à communionem separari.
 Nam hæc tum erat pœna Ecclesiæ gravissima.
 Berengario, qui non de confessionis origine,
 neq; de purgatorio postulatus erat, sed de ve-
 ritate corporis Christi: nec tum quidē vis est
 adhibita, quum semel dimissus, in eundem
 errorem esse relapsus. Nunc interdum mo-
 nachi vanū spargunt rumore, mox veluti
 suspectū pertrahunt in carcerē, ibi disputant
 suo more: notantur articuli, & parantur fa-
 sciculi.

sciculi: Verum hæc extra causam disserta sunt, mihi quidem non necessario, sed alijs fortasse non inutiliter. Item paulò post: Ioannes Chrysostronus, vir & pius, & scripturarum divinarum peritissimus, in caput Math. 13. Homilia 47. simpliciter interpretatur Domini parabolam hoc docere, ne trucidentur heretici, & huius sententiæ varias adfert causas. Ceterum, ne quis suspicaretur, hereticis prorsus impunitatem his verbis dari, sic moderatur suam interpretationem: Non prohibet, inquit, hereticorum conciliabula dissipare, ora obstruere, & audaciam loquendæ concidere, verum interficere vetat, ac trucidare. Reliqua qui volet, petat ex eo loco, quæ indicavi. Theophylactus in eandem fermè sententiæ: Servi, inquit, angeli sunt, qui indignantur esse hereses, vel malitiam in anima, et volunt evellere & excindere ex hac vita hereticos, & mala cogitantes: Deus autem non permittit hereticos bellis consumi, ne simul patiantur, consumanturque etiam iusti, etc. Divus Hieronymus evulsionem zizaniorum, interpretatur amputationem hereticorum ab Ecclesia: Ne fortè, inquiens, colli-

colligentes zizaniam, eradicetis simul &
 frumentum. Datur locus pœnitentiæ, & mo-
 nemur; ne citò amputemus fratrem. Quia
 fieri potest, ut ille qui hodiè noxio deprava-
 tus est dogmate, cras resipiscat, & defendere
 incipiat veritatem. Atqui hic, quoniam per-
 spiciam erat, Paulum secus & docuisse & fe-
 cisse (docet enim, nec cibum capiendum cum
 fratre fornicatore & auaro, & ipse nonnul-
 los tradidit satanæ) sic temperat interpreta-
 tionē, ut in apertis erroribus nolit citò fieri
 resectionem; in ambiguis nunquam, sed Do-
 mino reservandam eiusmodi dogmatum co-
 gnitionem: Inter triticum, inquit, & ziza-
 niam, quod nos appellamus lolium, quandis
 in herba est, & nondum culmus venit ad spi-
 cam, grandis similitudo est, & in discernendo
 aut nulla aut prædifficilis distantia. Preci-
 pit ergo Dominus, ne ubi quid ambiguum est,
 citò sententiam proferamus, sed Deo iudicij
 terminum reservemus: ut quam dies iudicij
 venerit, ille nō suspicionem criminis, sed ma-
 nifestum reatum, de sanctorum cœtu eiciat.
 Hactenus Hieronymus. Item paulò
 post: Quid hic attinet referre, quid sentians
 Remigij.

Remigij, Anselmi & Bedæ? divum Augustinum proferam, fontem & parentem omnis scholastica Theologia: qua se præcipuè iactat, qui suscitant has tragœdias. Is quum suam hac de re sententiã alijs cõpluribus locis declararit, in libello cui titulus de Quæstionibus Evangelicis in Mattheum, cap. 11- & 12. multis verbis differit de sensu huius parabolæ, illud addens aliorum commētis, quòd hæc parabola non solū pertineat ad hereticos, verum etiam ad omnes qui malè vivēdo, scandalalo sunt ecclesie. Adijcit & illud, quòd dictū Domini, Ne fortè eradicetis & triticum, non solum refertur ad eos qui piè sentiunt & vivunt, sed ad eos ipsos qui conversi ad meliora, ex zizanijs triticum fieri possunt. Eradicat enim quodammodo bonum, qui malum tollit è medio, qui bonus erat futurus. De occidendis autem malis ita loquitur: Non ait, in tempore messis dicā vobis, colligite primū zizania: sed dicam, inquit, messoribus. Unde intelligitur, colligendorum zizaniorū ad comburēdum alia esse ministeria, nec quemquam Ecclesie filium debere arbitrari ad hoc officiū pertinere. Et aliquanto post de pio,

cui

cui obrepat cogitatio de tollendis hereticis, a-
 gens, ita subjicit: Potest & suboriri volun-
 tas, ut tales homines de rebus humanis aufer-
 rat, si aliquam temporis habeat facultatem:
 sed utrum facere debeat, iustitiam Dei con-
 sultat, utrum hoc ei precipiat vel permittat,
 & hoc officium esse hominum velit. Hinc est
 quod servi dicunt: Vis eamus, & colligamus
 ea? Quibus veritas ipsa respondet: Non ita
 hominem constitutum esse in hac vita, ut cer-
 tus esse possit qualis quisque futurus sit postea,
 cuius in presentia cernis errorem, vel quid
 etiam error eius conferat ad profectum bo-
 norum: non esse tales auferendos de hac vi-
 ta, ne quum malos conatur interficere, bonos
 interficiat, quod fortè futuri sunt: aut bonis
 obsit, quibus & invitis fortè utiles sunt: sed
 tum oportere fieri, quum iam in fine non re-
 stat vel tempus commutanda vite, vel profi-
 ciendi ad virtutem ex occasione atque com-
 paratione alieni erroris. Tunc autem hoc
 non ab hominibus, sed ab angelis fieri. Inde
 est quod respondet paterfamilias: Non, ne
 fortè colligentes zizania, eradiceis simul
 & triticum. Sed in tempore messis dicam
 G ij messori-

messoribus. Atque hoc modo eos patientissimos & tranquillissimos reddidit, &c. Hac Augustinus.

NON ESSE TEMERE HABENDOS pro hæreticis, quos mundus habeat pro hæreticis: sententia Augustini Eleutherij, ex libro de Hæreticis.

Periculum est, ne verū sit Hieronymi dictum, quo ait, multorum corpora interris adorari, quorum anime apud inferos torquentur: quandoquidem Dei & hominum iudicia tam procul inter se distant, quam cælum à terra: & quod mundus pro sancto habet ac benedicit, id coram Deo est detestabile, Luc. 16. Esa. 25. Est enim manifestum, quosnam mundus iamdiu canonizaverit, & adhuc canonizet: & e contrario, quosnam hæreticos esse pclamet, videlicet omnes qui contra eius veritatem, tumē & Evangelium fuerint. quod tamē re ipsa mendaciū est, & tenebræ & abominatio: quandoquidem mundus nullos habet pro sanctis, nisi quos ipse sanctifi-

CAVIT.

cecidit. Rursum idem mundus suas tenebras
 & mendacia pro luce & veritate obtrudit,
 proclamant, ostentat: ac quicquid se his ab-
 ominationibus opponit, utcunque rectum
 & verum sit, id pro heretico habetur: at-
 que ita semper fuit, ut apparet in Christo &
 Apostolis, & antè in Prophetis, qui pro here-
 ticus condemnati sunt. Ita Valdo anno 1158.
 Dulcinus 1307. Rockenzan 1361, Vuicleff
 1364. Ioannes Huss 1414, damnati sunt pro
 hereticis. Quòd idem vulgò fit nostro tempo-
 re, & fiet deinceps, ut pro hereticis multi ha-
 beantur ac puniantur, quos posterì pro san-
 ctis venerabuntur. Itaque metuo, ne multi
 boni Christiani fuerint hereticis annumera-
 ti, quemadmodum de Prophetis et Christo &
 Apostolis patet, & nobis Christus exempla est.
 Omnes posterì edificant Prophetis & Chri-
 sto & Apostolis sepulchra, & ea magnificè
 exornant, & tamè ydem semper (sicuti Iu-
 dai) implent mensuram patrum: ac quem-
 admodum agnus ab initio fuit interfectus,
 ita usq; ad extremũ mactabitur. Vbi cūq; mo-
 dò Christus existit, ibi semper inveniuntur Iu-
 dae, Anna, Caipha, Pilati, & universa passio.

Non est hodiè melior aut sanior mundus quàm
 olim, ut nō idem faciat: quin potius peior est,
 ita ut veritas pro heresi ab omnibus omnem
 persecutionem patiatur. Quamobrem dili-
 genter prospiciendum est, quid, & quare res
 aliqua concludatur. Nam ferè accidit, ut
 Christiani, qui hereticorū nomen ferunt, non
 fuerint, nisi nimis serò cogniti, aut etiam de-
 dita opera hereticis fuerint ascripti. Ita fa-
 ctum est, ut Christus & veritas semper fue-
 rit à mundo damnata, & pro mendacio &
 heresi habita. cuius rei causa illa est, quam
 dicebat Christus Ioannis septimo. Non po-
 test mundus odisse vos: me autem odit, quia
 ego testimonium fero de illo, quòd opera eius
 mala sint. Hic comprobatur dictum illud Lu-
 ce 16. Quod coram hominibus sanctum est,
 id corā Deo est abominatio. Atque ut omnia
 excutias, manet Deus verax, pertinetq; mū-
 di sanctitas, iustitia & sapientia ad diabolū.
 Matt. 7. Ioan. 16. 1. Cor. 13. Esa. 64. Dei opera
 que quotidie gliscunt, scripturas probè ex-
 planant, si quis oculos haberet ad videndum.
 Breuiter, si mihi daretur optio, mallē in con-
 ditione esse multorū, quos mundus pro here-
 ticis

ticis damnavit, quàm eorū quos in diuos retulit. Videre licet etiam nostro tempore apertissimè, quid mūdus heresim appellet, & quā malitiosè & hostiliter verba aucupetur & secernat, & heretica pronunciet, quæ modò veritati tantillum aduersari videātur, vel potius mundi nugis & libidini. Quicquid enim mundus approbat, id pro veritate venditat, & omnes ab eo dissidentes, sine ulla misericordia damnat. Cur ego non putem sic cum Vuesselo, cū Vuickleff, cum Ioanne Hus, aut etiam cum nonnullis antiquorum hereticorum (tametsi Ecclesia nondum esset adeò depravata) actum fuisse, & eos perfidiosè occulta fraude oppressos fuisse, eorum verbis malitiosè detortis atq; peruersis? cum idem quotidiè fieri deprehendamus.

Iam verò, qui se de Orthodoxorum religione hodie iactant, & tamen alios tam audacter hereseos damnant atq; plectunt, nō magis fundati sunt super orthodoxis, quàm super evangelio, quē ad modum manifestè demonstrabimus: quin eos ipsos pro hereticis re ipsa habent, quantumvis eorū sepulchra ornent, et in eorum disciplina stare se profitean-

tur. Video, quàm probè possint huiusmodi ho-
mines iudicare de rebus spiritualibus. Est e-
nim veritas ita comparata, ut de ea iudica-
re, aut eam intelligere nemo possit (etiamsi
quis omnes humanas scientias ad unguè cal-
leat) nisi sit ipse in veritate. 1. Cor. 2. Cum
igitur mundus non solum non sit harum re-
rum capax, sed econtrà mendacium amet,
atque querat, Psal. 4. quomodo possit de ijs
rebus sententiam ferre, aut pronūciare, qua-
rum non modò nullam habet naturaliter co-
gnitionem: sed etiamsi quis eas ei dicat, eas
tanquam stultitiam deridet, & pro menda-
cio carpit, & de vera veritate adeò sinistrè
loquitur, ut eius opinione veritas nihil mi-
nus sit quàm veritas, etiamsi verbis eam
iactet?

Hæc ideo dico, quòd scio universos mundi
sapientes nō posse intelligere quid dicat Chri-
stianus, nedum ut de eius negotijs loqui pos-
sint, aut iudicare: & tamen cæcus mundus,
de hoc colore quotidie iudicat, videlicet secū-
dum suam naturam, non melius quàm caro
de spiritu, & tenebræ de luce. Hoc totum per-
spicue apparet in Christo, quem videmus quo-

modo

modo intellerit Israelitarū magister Nicodemus, Ioan. 3. quē item omnes literati & Pharisaei adeo non intellexerunt, ut universam eius doctrinam pro puerili, stulto & detestando mendacio habuerint, & eum furiosum & pessimum haeticum iudicaverint. Idem fit & hodie, ut pro heresi habeatur, quicquid eiusmodi est, ut id mundus intelligere aut comprehendere nequeat: praesertim verò de rebus spiritualibus, si quando carnalis mundus iudicare vult, id ita facit, ut dicas esse asinum ad lyram. Omnia pervertit, & veritatem in mendacium vertit, & de Christianis nihil nisi mentiri novit.

Propterea vocatur Scriptura liber clausus septem sigillis: suntq; verba Dei ita composita, ut ea non nisi eius filij intelligant. Loquitur cum eis in parabolis & occultè, ne quis ipsum intelligat, nisi qui sunt nati ex eo: estq; eius obscura oratio, clausa cunctis externis, id est toti mundo.

Itaq; veritas quoq; tempus scholamq; suam desiderat, adeo ut melius sit tuto silere, quam veritatē coram saevo mundo intempestivè profiteri, ne margarite porcis, Matth. 7.

Amos

Amos 5. Video nostro tēpore apertissimè quibus calumnijs opprimantur p̄j: itaque credo, idem olim fieri solitum, quādo quidem pietas impijs semper invisa fuit. Omnia pervertunt scriptores mali & invidi, qui rerum potiti sunt: neque quicquam de ijs quos oderāt, sincerè & bona fide scripserunt, ita ut ex eis veritas certò sciri nequeat. Si scriba aut pharisai Christi Evangelium scripsissent, videremus eius dicta omnia mirificè perversa & detorta: vocaretur seditiosus, seductor, rabula, diabolicus, blasphemus, veneficus, summus hereticus, sceleratorum princeps, Dei et Mosaicæ legis hostis, & insuper meretricis filius, quemadmodum in eorum Talmud vocatur.

Quòd si nostro tempore illorū similes, hoc est crudeles fictiq; homines, & ydem auctoritate præditi (tales enim homines semper apud cæcum mundum auctoritatem obtinuerunt) de hereticis sententiam ferent: id planè fiet, quòd fieri videmus, ut secta alia aliam capitali odio prosequatur, & alii alios nō intelligāt eademq; res ab aliis dānetur, ab aliis absolvatur: sed semper eò deveniatur, ut quisquis

quisquis vapulat (vapulant autem semper
 pi) is omnium iudicio & vivus & mortuus
 malè audiat , & potentes benè audiant . Sic
 est mūdus , semper favet potentioribus pios o-
 dit , quoniam ab eorum vita damnatur . Sap.
 2 . Math . 10 . at impios odisse non potest . Io . 7 .
 Iam verò cum Christus ipse suo ore literatos
 alloqueretur , quoniam non erant eius rei ca-
 paces (nam mundus spiritum veritatis cape-
 re aut cōprehēdere nequit , Io . 14) rem ipsam
 parabolis ambiguisque verbis implicabat ,
 ut illis hæc arcana nihil aliud essent , quàm
 clausus liber . Itaq; illi eius omnia verba per-
 vertebant , & omnino quid diceret non intel-
 ligebant , cum tamen adhuc viventem audi-
 rent . Hæc res facit , ut ego arbitrer multos pro
 hæreticis habitos fuisse , vel quia mundum re-
 prehenderint , vel quia eos nemo intellexerit ,
 omniaque de eis falsò dicta scriptaq; fuerint :
 quemadmodum etiamnum quotidie accide-
 re comperimus . Itaq; optandum esset , ut quē-
 admodum Ioannis Hus , ita etiam cetero-
 rum qui pro hæreticis habentur , exemplaria
 verasq; causas & scripta haberemus : quan-
 doquidem nullus est ita malus liber , quin eo
 Christi-

Christianus (qui eludi aut corrumpi non potest) uti possit in suum commodum: siquidem veritas collata cum mendacio, eo speciosius & constantius elucescit. Propterea Deus hereses evenire permittit, & oportet mendacium esse ad probandam iuvandamq; veritatem: quando unaquaq; res suum contrarium affert atq; postulat. Præterea vellem ideo nos habere eorum libros, ut perspiceremus vel falsitatem vel veritatem erroris eorum. Nam primos illos hereticos, qui fuerunt Apostolorum tempore, habuisse nonnullam speciem veritatis, ex eo apparet, quòd movebant multos, cum tamen viverent Apostoli. adeò ut propter eos factum fuerit concilium, Act. 15. id quod nunquam factum fuisset, nisi illi sua probabiliter sacris literis colorare potuissent. At de ijs q; postea secuti sunt hereticis, nihil nisi mera nequitia & abominanda blasphemia traduntur, sine ulla specie aut scriptura: sicut de Simone, de Mane, de Menandro, &c. quorù nonnulli se Deum aut Christum esse iactaverunt, & tam inepta tradiderunt, ut ego non possim credere, potuisse primos illos Christianos ab eis decipi, si tam crassa fuissent eorum hereses.

hereses. Videtur Eusebius sæpè, si quid probabile habuerunt, prætermisisse, ut solemus: si quem odisse cœpimus, nihil nisi malum de eo dicere possimus: ut est in proverbio, Inimicū os nemini benè dicit. Scriptores ea aliquando de hereticis post eorū tempus scripserunt, quæ vulgò ferrentur: sed credibile est, illos longè aliam speciem habuisse. Itaque credo multa eorum dicta esse inversa, multa etiam eis falso adscripta: aut bonis omissis, si quid mali erat, id esse decerptum atque auctum: quandoquidem nostro tempore, si decem homines modò adfuerint in una concione, & inde egressi, inter sese contendant: ferè fit, ut totidem sententias quot capita habeant, & concionatorem alij alia dixisse affirmēt. Iam verò si etiam hi libri, qui amantur & manibus teruntur, tamen aliquando adulterantur, sicut ingenuè fatetur Erasmus in Annot. & Tertullianus contra Marcionem, & Origenes in Matth. Hom. 26. quid credibile est accidisse hereticorum vel dictis vel scriptis, cum omnes eis fuerint inimici? cum sæpè videamus sanctos, & populo dilectos homines, ita denigrari Scribarum et Phariseorum calumnijs,

lumnis, ut reddatur omnibus in visi. Sic ego hereticis accidisse opinor: qui si nihil nisi horrendas blasphemias habuissent, quemadmodum Anabaptista à nonnullis accusari solent, mirum est potuisse vel unum hominem ab eis persuaderi.

Hec Eleutherius, atque idem in eodem libro De non puniendis gladio hereticis ita loquitur.

Sunt qui arbitrantur Christum, dum zizania ante messem extirpari vetat, id ideo fecisse, quòd mundus cecus est, nec ullam veri cognitionem habet: præsertim eius scribe, hoc est, literati & duces cecorum. Quod si mundo potestas data fuisset zizania extirpandi, cùm sit ipsemet zizania, extirpasset frumentum pro zizanijs ut ipse solus agrum occuparet: sicuti semper solitus est facere, nec id solum in prophetis, Christo & Apostolis, sed etiam hodie in multis. Hac de causa nobis est hæc potestas meritò negata, & soli Deo reservata: quemadmodum ait Augustinus, eos nò esse vita privandos, ne si malos velimus interficere, boni pro malis occidantur. Dicit quòque idem apertè, non esse hoc hominum officium sed angelorum.

Præte-

Præterea super eadem parabola Matth. 13. eadem dicunt non solum Augustinus, Chrysostomus & cæteri, sed etiam Beda, Remigius, Anselmus, videlicet nullam vim inferri debere hæreticis, neque quæquam ad liberandam fidem cogi: siquidẽ Deus liberum, & non coactum cor vult habere. & Christiani propterea liberi & sui iuris nominantur, quod eorum negotium ex nulla ullius legis violentia manat, sed ex libero instinctu spiritus, qui fidem in eis operatur & docet, & charitatem accedit. Augustinus in libello de Quæstionibus Evangelii in Matth. cap. 11. & 12. parabolam de zizanijis pluribus verbis explicat & præter alios omnes Commentatores hoc dicit, hanc parabolam non solùm de hæreticis intelligi debere, sed etiam de ijs, qui sua prava vita scâdalum sunt ecclesie. Hæc ille. Atque illud addit, non esse Ecclesiasticis dictum in tempore messis, ut congregent zizania: sed messoribus, qui sunt angeli: ex quo intelligi debet, non esse hoc illorum officium, sed angelorum. Quod autem hæretici tantum excommunicatione puniri debeant, ostendunt præter doctrinam Christi, & exempla antiquæ Ecclesie,

H

etiam

etiam antiqui doctores, Ambros. c. 2. Quest.
1. Quæ dignior. Item ibidem Origines super
Levit. Cum aliquis.

Idem Eleutherius in eodem cap.

Huc pertinent omnia quæ de Christiana
libertate & differentia veteris & novi Te-
stamenti scripta sunt: de qua quidam ali-
quando benè scripserunt, quippe qui sibi me-
tuerent. At nunc postquam hæc libertas ipsis
adversatur, invertunt attritum calceum,
& tandiu cantant am cantilenam recantant,
& ad Mosem à Christo retrò recurrunt, vel
potius à sole ad umbram. Vellent nimirum
violentiam, gladium, legemq; Mosi iterum
erigere: cum tamen hic maior sit quàm Mo-
ses, quàm Salomon, quàm Ionas & propheta,
qui novum Testamentum erigit, & vetus li-
tere Testamentum in spiritu abrogat: vide-
licet Christus, cui nos obtemperare iussit pa-
ter de cælo. Lutherus hæc de re nominatim li-
brū scripsit, in quo rectè (mea quidem senten-
tia) demonstrat, quomodo debeat legi Moses,
& quousque porrrigatur vetus Testamen-
tum, & quomodo id nunc desinat: contra
quosdam, qui Mosem ex tenebris, umbris &
figuris

figuris extrahunt, & Christi loco in veritate collocant. Hec est retrò gradi, retròque docere, & ex promissa terra in Aegyptum, in desertum, in Babyloniam reducere, & ex filialitate iterum servitutem facere, &c.

Hactenus de his, quae sanè sunt hoc tempore necessaria: in quo sanè expediret, habere nos multos Cōstantini similes, qui in actione prima Constant. Consil. ad Papam Agathonem apertè scribit, nemini velle se vim facere, aut cogere ad fidem: sed tantum adhortari; iudicium quidem relinquere Deo.

Fecit, ut probum & prudentem principem decebāt: non ut quidam post eum, qui à falsis doctoribus decepti, fascinati atque inducti (sicuti Theodosius à Nestorio) decreta sua longius & altius porrexerunt, & in dies ulterius processerunt: donec tandem ad vincula, cruces, ignes & rotas ventum est in concilio Constantiensi.

Decretum Valentiniāni & Marcianicontra hereticos Manichaeos editum post cōciliū Chalcedonense, iubet eorum libros comburi, ipsos autem in exilium pelli: sed eorum auditores aut lectores, decē libris auri mulctari.

H ij Aliud

Aliud edictum Martiani Caesaris iubet hereticorum bona confiscari, ipsos in exilium relegari: & testamentum faciendi, aut sua bona alicui curanda tradendi potestate privari, hereticorum hospites clava feriri. Si sunt honorabiles & divites personæ decē auri libris mulctari, ad deterrendos exemplo alios, libros autem eorum comburi. Hoc edictum est tantum contra Apollinarem & Eutycheten, quemadmodum superius tantū cōtra Manicheos.

Iam verò, licet hæc leges sint aliquanto tolerabiliore, quàm quæ in ultimo concilio Constantiæ late sunt, & quæ nunc postremò inventæ sunt, cum meræ decollationes, cremationes, incendia vigent, & ultimus sanguinarius Diabolus (qui libèter universos uno acervo extirparet & extingueret) seipsum tam crassè patefacit: tamen utraq; modum excedunt, suntq; cōtra omnes scripturas & antiquos patres atque etiam contra ipsorū Decret. 23. quæst. 3. cap. 3. Si Ecclesia. ubi manifestè traditur, veram Ecclesiam esse eam, quæ persecutionem patitur, non quæ persequitur: qualis fuit Christi & Apostolorum.

Augusti-

Augustinus in sermone de Omnibus sanctis, dicit Ecclesiã semper fuisse sub cruce corroboratam, non resistendo, sed patiendo.

Idem tradit Damascenus, 3. Senten. cap. 32. videlicet Evangelium toto orbe fuisse predicatum, sed nullis telis, aut armis, aut bello suos adversarios vicisse, sed à paucis nudis, pauperibus, indoctis, & flagellatis, confusos fuisse sapientes mundi. Quomodo enim posset Ecclesia habere martyres, si ipsa martyres faceret?

Huc facit Hilarius, qui hanc, quæ adhibetur in Evangelio, dum vi coguntur homines, iniquitatẽ deplorat vehementer, contra Auxentium Arrianum his verbis: Ac primum miserari licet nostræ ætatis laborem, & presentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragijs ad predicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adiuti potestatibus, Christum predicaverunt? gentesq; ferè omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? An ne aliquam sibi

sibi assumerent è palatio dignitatē, hymnum
 Deo in carcere inter catenas & post flagella
 cantantes? Edictis ne regis Paulus, cum in
 theatro spectaculū ipse esset, Christo Ecclesi-
 am congregabat? Nerone, aut Vespasiano,
 aut Decio patrociniatibus tuebatur, quorum
 in nos odijs confessio divinæ prædicationis ef-
 floruit? Illi manu atque opere se alentes, in-
 tra cœnacula, secretaq; coeuntes, vicos & ca-
 stella, gentesque ferè omnes, terra ac mari
 cōtra senatusconsulta & regum edicta pera-
 grantes, claves (credo) regni cœlorum non
 habebant? Aut nō manifesta se tū Dei virtus
 contra odia humanaporrēxit? cū tanto ma-
 gis Christus prædicaretur, quanto magis præ-
 dicari inhiberetur? At nunc proh dolor, di-
 vinam fidem suffragia terrena comedant:
 inopsque virtutis sue Christus, dum ambitio
 nomini suo conciliatur, arguitur: terret exi-
 lijs & carceribus Ecclesia, credique sibi co-
 git, quæ exilijs & carceribus est credita. Pen-
 det ad dignationem communicantium, quæ
 persequacium est consecrata terrore. Fugat
 sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus pro-
 pagata. Diligi se gloriatur à mūdo, quæ Chri-
 stiese

*sti esse non potuit, nisi eam mundus odisset.
Hæc Hilarius.*

Iam verò ad hanc licētiam paulatim processum est: nimium diu puduit diabolum, principio inter fideles in tam impudentem licentiam venire, ut aliquis ad fidem cogeretur, & in Evangelij fideiq; negocijs vis adhiberetur. Erat enim res nimis absurda, ne dicam ridicula, non solū apud fideles, sed etiam apud mundum ipsum, in Dei negocijs (qui cor & volūtarios cultores habere vult, quæ admodum & in omnium animis scriptum, & omnium iudicio equum est) vim inferri, & in volentibus, invita eorum animo fidem per vim erigi.

Tamen in veētis sunt alia post alia, evasitq; mundus in dies à veritate alienior & imperitior: donec Pelagius papa, anno quingentesimo quinquagesimo tertio, etiam ulterius prorupit, à patre omniū phariseorum, Ioan. 8. missus atque pulsus. Is impudenter decreto promulgavit, ut si heretici ad Romanam fidem (quam ipse Christianam appellat) rationibus adduci nollent, advocaretur mandana potestas, quæ illos ad id vi cogeret.

En quò devenimus; idq̄, in dies magis magisq̄ confirmatum est, ut cū hereticis non aliter agatur ac disputetur, quā patibulis, gladio et igne: nec eis etiam data fides servetur, quemadmodum fecit Constantiense concilium Iohanni Huss. neq̄, saltem tantum equitatis habēt, ut eis obijci possit, Si hereticis servanda fides non est, non debere dari, nec eorū vitæ sic illudi.

Quinetiam huic insolentia adversantur optimi antiquorum Canonum, qui vetant, ne spirituales ullam ob rem, nedum ob fidem aut heresim, quenquam occidere, aut ei manus inijcere audeant, neque per se, neque per alios: ac neque voluntatem, neque factum, neque consilium suum ad id accommodent: quinetiam alios qui id fecerint, iudicent atq̄ puniant. 23. Quest. ult. cap. His à quibus de re. iud. lib. 5. Quod de pœnitent. Distinct. 3. Periculosè Augustinus 14. q. 3. Plerique.

Iam verò si comburi deberent heretici, quemadmodum eorum novum ius multis in locis, contra ea quæ modò commemoravimus decreta, docet, cum secundum eorundem ius Simoniaci maximi sint heretici, primumq̄
locum

locum habeant, 1. *Quest. 1.* Eos qui: itemq; cū
 à scortatore nullam omnino Missam audire
 liceat, sub pœna excommunicationis & pec-
 cati idololatriæ. 11. 12. *Distin. 2.* Verùm, qua-
 so quid fieret tanto hereticorum grege? Un-
 de carnificum ligniq; satis suppeditaretur, ad
 eos omnes comburendos, &c.

Enimvero hereticos tātum excomunicari
 debere, ostendit spirituale ius, unā cum scri-
 pturis, cū multis in locis, tum maximè. 24.
quest. 1. quæ dignior, verba Ambrosij. Item
 ibidem cap. Cum aliquis, Origenes, &c.

Cum his planè consentiunt Canones pri-
 morum antiquorum Conciliorum & Papa-
 rum cum quidem ultra excommunicationē
 non procederetur: donec cœptum est in exili-
 um relegare, & ad extremum capere, & gla-
 dio & seculari potestati tradere. Præterea
 damnari aut excomunicari nemo debet,
 nisi rectè & ordinè convictus. 2. *Quest. 1.*
 in multis locis.

Ad hæc in Canone 23. *Quest. 5.* Circumcel.
 pœna illorū. apertè exprimitur ab Augusti-
 no, hereticos morte puniri non debere, neque
 id ullius Christiani esse. Ac licet Donatistæ

H v quidam

quidam, homines nequam, præter hæresim, etiam Christianis nonnullis sacerdotibus manus afferrent, & mortem inferrent: tamen monet Augustinus iudicem Marcellinum, ne eos morte plectat, sed in eo meminisse velit conscientie et officij Christiani. Deberent hæc decreta, præsertim Augustinus, valere apud eos, qui eum habent in tanto precio.

Item, quòd nullus Iudæus aut alius debeat ad fidem cogi, aut à suis institutis & ceremonijs vi avelli, sed bonis cõsilijs & admonitionibus ad fidem instigari, manifestè exprimitur *Distinct. quid autem. In calce, qui sinceram. Hactenus Eleutherius.*

LACTANTIUS LIB. V.

Capite 20.

NON est opus vi & iniuria, quia religio cogi non potest: verbis potius quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorũ vera est, afferatur, parati sumus audire, si doceant: tacentibus certè nihil credimus, sicut ne sevientibus quidẽ cedimus. Imitentur nos, aut rationem totius rei exponant.

NO

Nos enim non illicimus (ut ipsi obiectant) sed
 docemus, probamus, ostendimus. Itaque ne-
 mo à nobis retinetur invitus: inutilis est enim
 Deo, qui fide ac devotione caret. Et tamen
 nemo discedit, ipsa veritate retinente, &c.
 Atque idem paulo post: Sciant igitur ex hoc
 ipso, quantum intersit inter verum & fal-
 sum, quando ipsi qui sunt eloquentes, persua-
 dere non possunt: imperiti ac rudes possunt,
 quia res ipsa & veritas loquitur. Quid er-
 go se viunt? ut stultitiam suam, dum minue-
 re volūt, augeāt? Longè diversa sunt carni-
 ficina & pietas: nec potest aut veritas cū vi,
 aut iusticia cū crudelitate cōiungi. Item pau-
 lo post: Sentiūt enim, nihil esse in rebus huma-
 nis religione præstantius, eamque summa vi
 oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic
 in defensionis genere falluntur. Defendenda
 enim religio est non occidendo, sed monendo:
 non se vitia, sed patiētia: non scelere, sed fide.
 Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et ne-
 cesse quidem est, bonum in religione versari,
 non malū. Nam si sanguine, si tormētis, si ma-
 lo religionē defendere velis, iam nō defende-
 tur illa, sed polluetur, & viotabitur. Nihil est
 enim

enim tam volūtarium, quàm religio: in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientia vel morte defendas, in qua fides consecrata & ipsi Deo grata est, & religioni addit auctoritatem.

Idem Capite 24.

Quicquid ergo adversum nos mali principes moliuntur, fieri ipse permittit. Et tamē iniustissimi persecutores, quibus Dei nomen contumelia ac ludibrio fuit, nō se putent impunè laturos: quia indignationis adversus nos eius quasi ministri fuerūt. Puniētur enim iudicio Dei, qui accepta potestate supra humanū modū fuerint abusi, & insultauerint etiam Deo superbius, eiusq; nomē eternū vestigijs suis subiecerint, impiè nefarieq; calcādum. Propterea vindicaturum se in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum bestias malas de terra. Sed idem quamvis populi sui vexationes & hic in presenti soleat vindicare, tamen iubet nos expectare patienter illum caelestis iudicij diem, quo ipse pro suis quemq; meritis aut honoret, aut puniat. Quapropter nō sperent sacrilega anima, contēptos et inultos fo-

tos fore quos sic oderunt. Veniet rabiosis & voracibus lupis merces sua: qui iustas & simplices animas nullis facinoribus admissis excruciarunt. Nos tantummodo laboremus, ut ab hominibus nihil aliud in nobis, nisi sola iustitia puniatur. Demus operam totis viribus, ut mereamur à Deo simul & ultionem passionis, & premium.

IO. CALVINUS IN PRAEFATIONE IN ACTA APOSTOLORUM, ad Danię regem.

HAEC denique meditatio sola efficiet, ne unquā nobis accidat, qđ de maiore parte olim ab Ennio verè esse dictū, nimis multa experimenta probant. Pelli è medio sapientiam, quoties vi res geritur. Nam si in summo & acerrimo praeliorum fervore, tantum apud Lacedaemonios potuit tibiaram cōcensus, ut ingenitā bellicoso populo ferociam leniret, impetumq; qui vel in mitibus alioqui ingenijs tunc supra modum exultat, temperaret: quanto id melius & efficacius, caelesti spiritus sancti modulatione præstabit Christi regnum? quod non modò truculentas bestias

*Alas cicurat, sed ex lupis, leonibus, & ursis
agnos facit? quòd lanceas in falces conver-
tit, & gladios in vomeres format? &c.*

*Idem in prima Institutione, ca-
pite secundo.*

*Itaque tametsi familiarius versari, aut
interiorem consuetudinem habere cum ex-
cōmunicatis per Ecclesiasticam disciplinam
non liceat, debemus tamen contendere, qui-
bus possamus modis, sive exhortatione ac do-
doctrina, sive clementia ac mansuetudine,
sive nostris ad Deum precibus, ut ad melio-
rem frugem conversi, in societatem ac uni-
tatem Ecclesie se recipiant. Neque q̄ mo-
dò sic tractandi sunt, sed Turca quoque ac
Sarraceni, caterique verae religionis hostes.
Tantum abest, ut probanda sint rationes, qui-
bus eos ad fidem nostram adigere multi ha-
Etenus moliti sunt: dum aqua & igni, com-
munibusque elementis illis interdiciunt, cum
omnia illis humanitatis officia dene-
gant, cum ferro & armis per-
sequuntur &c.*

OTTO

OTTO

OTTO BRUNFELSIUS
in Pandectis.

Hereticos comburi est contra voluntatem spiritus.

Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.

Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut eth. &c.

Nescitis, cuius spiritus estis.

Filius hominis non venit perdere, sed salvare animas. Luc. 9.

Cavete à fermento Phariseorum. Non inquit, Occidite hereticos, Phariseos, &c.

Præterea Christus neminẽ gladio, aut igne coegit ad fidem.

Christus item toleravit Phariseos, dicens: Cavete à Pseudoprophetis. Non ait, Occidite falsos prophetas. Matth. 7. Huc spectat parabola de zizania & tritico.

Paulus blasphemus erat, & tamen misericordiam est consecutus.

Hereticum hominem de vita: Non ait, Occide.

CON-

CONRADUS PELLICANUS,
 in Commentario in Matthæum
 cap. 13. in parabola zizaniorum.

Nihil gravatur Dominus dilucidè enarrare parabolam zizaniorum, rogatus à discipulis, Bonus, inquit, ille pater familiàs, qui seminavit bonum semen, est pater cælestis. Ager in quo seminavit, est mundus totus, non solum Iudæa. Porro triticum quod enatum est bonum ex bono semine, ij sunt qui ex institutione Evangelica sese dignos præbent regno cælorum, professioni suæ vitæ factisq; respondentes. His admixta ex malo semine mala zizania, sunt improbi, qui nõ syncerè profitentur Evangelicam doctrinam. Inimicus autem ille, qui nocte clam admiscuit suum semen, unde nascitur perversa doctrina, est diabolus. Servi qui volunt ante tempus colligere zizania, sunt ij, qui pseudoapostolos et heresiarchas gladijs ac mortibus existimant è medio tollendos: cum pater familiàs nolit eos extinguere, sed tolerari, si fortè resipiscant, & è zizanijs vertantur
 in triti-

in triticum. Quòd si non resipiscant, seruentur suo iudici; cui pœnas dabunt aliquando. Tempus messis, est consummatio seculi: Messores, angeli sunt. Interim igitur mali bonis admixti; ferendi sunt: quando minori pernicie tolerantur; quàm tollerentur. Porrò cum venerit extremum illud tempus, cum separabuntur boni à malis; quum cuiq; pro factis sua dabuntur premia: tunc filius hominis omnium iudex; mittet angelos suos; qui repurgent regnum ipsius; neque quicumq; offendiculi sinet illis residere. Quandoquidem iam nec boni malis prodesse poterunt, nec mali sinentur amplius bonis negotium facessere: sed quicumq; viventes inter bonos, maluerint illis esse molesti, quàm eorum consuetudine fieri meliores; separatos ab alijs congregabit; ac tradet illos incendio gehennæ. Ibi pro momentaneis falsisq; voluptatibus; supplicijs nunquam finiendis afficientur; submoti ex area Ecclesiæ, & coniecti in specum tartareum: hoc est, in regnum patris sui diaboli; ubi sera iam & inutilis pœnitentia fletum, eiulatum, ac dentium stridorem extorquebit à miseris, &c.

VRBANUS REGIUS IN
locis Theologicis, in fine cap.
de Hæreticis.

Christianorum spiritus clemens est, comburit tantum igne charitatis, Luc. 9. Nescitis cuius spiritus estis. Non querit vindictam, sed resipiscentiam peccatorum. Et non disputant p̄ animo pertinaci, sed veritatis cupido & humili, iuxta formam Acto- rum 17. cap. Scrutantur scripturas propter veritatem: non querunt nisi victoriam veritatis, non suam.

Deus non docet comburere errantes ovi- culas: sed Ezechielis 34. sanare infirmas, macilentas pascere, &c.

Vide Hieronymũ in Hoseam, cap. 2. Quo- modo tractandi hæretici.

AUGUSTINUS CONTRA
Cresconium Grammaticum,
libro 3.

Nullis tamen bonis in Catholica Ecclesia hoc placet, si usque ad mortem in quen- quam, licet hæreticum, se viatur, etc. nec pro- pter pa-

*propter paleas, uream: nec propter zizaniam,
segetem Christi: nec propter vasa inhonora-
ta, domum magnam Christi, nec propter pe-
stes malas, retia Christi relinquunt.*

**EX IIS QUAE DE FIDE
& operibus scripsit, ca-
pite 5.**

*Nos ad sanam doctrinam pertinere arbi-
tramur, ex utrisque testimonijs tutam senten-
tiam moderari, ut & canes in Ecclesia pro-
pter pacem Ecclesiae toleremus: & canibus
sanctum, ubi Ecclesia pax tuta est, non demus:
reliqua ibidem lege.*

**EX EPISTOLA 158. AD
Marcellinum:**

*Quod autem scripsit eximietas tua, du-
bitare te, utrum in Theoprepia debeas ea-
dem gesta iubere proponi: fiat, si potest il-
luc frequens confluere multitudo. Alioquin
alius locus celebrior providendus est, non ta-
men ullo modo praetermittendum. Paena
sanè illorum, quamvis de tantis sceleribus
confessorum, rogo te, ut praeter supplicium*

l. y. mortis

mortis sit, & propter conscientiam nostram,
& propter Catholicam mansuetudinem com-
mendandam.

EX EPISTOLA 159.
ad eundem.

Imple Christiane iudex, p̄y patris officium: sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris. Nec in peccatorum atrocitatibus, exerceas ulciscendi libidinem: sed peccatorum vulneribus, curandi adhibeas voluntatem. Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendente eculeo, non sulcantibus unguis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti.

Ex Epistola 150. ad Apringium.

De vobis quidem dixisse Apostolum legimus, quod non sine causa gladium geratis, & ministri Dei sitis, vindices in eos qui malè agunt. Sed alia est causa provincie, alia causa Ecclesie. Illius terribiliter gerenda est administratio, huius clementer commendanda est mansuetudo. Si apud iudicem non Christianum

num mihi sermo esset, aliter agerem, nec tamen ecclesiam sic etiam desererem. & quantum admittere dignaretur instarem, ne passionis servorum Dei catholicorum, quæ prodesse debent ad exempla patientiæ, inimicorum suorum sanguine fœdarentur: & si nollet acquiescere, inimico eum animo resistere suspicarer. Nunc verò, quâdo apud te res agitur, alia mihi ratio est, alia consultatio. Rectorem quidē te præcelsæ potestatis videmus, sed etiam filium Christianæ pietatis agnoscimus. Subdatur sublimitas tua, subdatur fides tua, &c.

Ex libro Questionum Evangelij secundum Matth. cap. 12.

Vis, imus & colligimus zizania? Vtrum & ipsi sunt servi, quos paulo post messorum appellat: an quia in expositione parabola messorum dixit esse angelos, nec quisquã dicere facile ausus fuit, angelos nescisse, quis zizania superseminaverit, & ea tunc apparuisse angelis, cum herba fructū fecisset. Magis oportet intelligi, homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit. Nec mirum, si & bonum se-

men ipsi dicuntur, & servi patrisfamiliæ, sicut de se ait, quod ipse sit ianua, & quod ipse sit pastor. Ex diversis enim significationibus, una res etiam plures & diversas similitudines recipit, præsertim quia cum ad servos loqueretur, non ait, In tempore messis dicam vobis, colligite primum zizania: sed, Dicam messoribus. Vnde intelligitur, colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria. nec quenquam Ecclesiæ filium debere arbitrari, ad se hoc officium pertinere.

Ibidem.

Hinc est quod servi dicunt, *Vis imus & colligimus ea?* Quibus veritas ipsa respondet, non ita hominẽ constitutũ esse in hac vita, ut certus esse possit, qualis quisq; futurus sit postea, cuius in presentia cernit errorem: vel quid etiam error eius cõferat ad profectũ bonorum, non esse tales auferendos de hac vita, ne cũ malos conatur interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri sunt: aut bonis obsit, quibus et in viti fortè utiles sunt. sed tunc opportunè fieri, cum iam in fine non restat vel tempus computanda vite, vel proficiendi ad veritatẽ, ex occasione atq; cõparatione alieni erroris.

Ex

*Ex libro cōtra epistolam Manichæi, quam
vocat Fundamenti. cap. 1.*

*Vnum verum Deum omnipotentem, ex
quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, &
rogavi & rogo, ut in refellenda & revincen-
da heresi vestra Manichæi, cui & vos fortas-
se imprudentius, quàm malitiosius, adhasi-
stis, det mihi mentem pacatam atque tran-
quillam: & magis de vestra correctione, quàm
de subversione cogitantem. Quanquam e-
nim Dominus per servos suos, regna subver-
tat erroris: ipsos tamē homines, in quantum
homines sunt, emendandos esse potius, quàm
perdendos iubet.*

**CHRYSOSTOMUS HOMI-
lia 47. in caput Matth. 13.**

V*Is igitur, abeuntes colligimus ea? Domi-
nus autem prohibet, ne fortè simul cum
zizanijs herbam etiam tritici evellāt: quod
dicebat, ut bella & effusionem sanguinis
prohiberet. Nam si trucidarentur hereti-
ci, absque fœdere pacis atque inducijs bel-
lum orbi inferretur. Duabus igitur ratio-
nibus prohibuit. Altera, quia frumentis pa-*

rum nocerent: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare & si puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua expectanda vobis est. Quid autem est, quod eradicabitis simul cum ipsis etiam frumenta? Certè aut quia si arma capietis, inquit, necesse est, cū hereticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere: aut quia ab ipsis zizanijs multa commutata, in frumenti conditionem seipsa converterent. Si ergo praevientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quae à commutatis zizanijs provenirent. Non prohibet autem conciliabula hereticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere: verum interficere, ac trucidare.

Ex Homilia 8. in cap. Geneseos 1.

Heretici simili modo adfecti sunt, sicut hi qui morbo laborant, & corporalibus oculis caecutiunt. Illi enim ob oculorum suorum infirmitatem solis luci adversantur, & ob adversam corporis valetudinem etiam optimos saluberrimosque cibos aspernantur. Ita & hi anima egrotantes, & mentalibus oculis capti,
ad lu-

ad lumen veritatis respicere non possunt. Idcirco nostro fungētes munere, manus eis porrigamus, magna eis mansuetudine loquamur. Nam & beatus Paulus, ita nos admonuit dicens: Vt in mansuetudine erudiantur adversarij, si fortè det eis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis, & emergant à laqueo diaboli, capti ab ipso in illius voluntatem. Vides quomodo verbis declaravit, quòd quasi ebrietate obruti sint? Nam quod dicit, Emergant: ostendit, quòd ab aliquo mersi sint. Et iterum, Capti, inquit, à diabolo; quasi diceret, laqueis irretiti sunt. Vnde & nobis gemina opus est mansuetudine, & longanimitate, ut possimus eos eripere & educere ex laqueis diaboli. Dicamus igitur eis, Emergite & resipiscite paulisper, aspiciete lumen iusticia: & cetera.

Idem Chrysostomus in Homilia de nomine Abrahami,

Dogmata enim impia, & quæ ab hereticis profecta, & arguere anathematizare oportet; hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.

HIERONYMUS IN MAT-
thæum, citante Barthol. Vuest-
hemero.

A Rundinem comminutam non confrin-
get: id est, porriget manum peccatori,
& portabit onus fratrum suorum. Et linum
fumigans non extinguet: id est, modicam fi-
dem in parvis non extinguet. Vtriusque iam
sint imitatores, Christine an Antichristi, qui
flammas, ignem, mortem spirant, clamant, in-
ferunt, Hieronymus explicuit. Quoriam er-
gò parum est, Christianum feritate plusquam
militari, rabie plusquam canina, inclemen-
tia plusquam tyrannica in palabundam orem
grassari, inter miserum deservire, & in deplo-
ratum & reiectum à Deo hominem irruere.
Dominus de hoc cum pastoribus, qui pascere
debuerant, non interimere, ex postulat apud
Ezechielem, 34. cap. Væ pastoribus Isra-
el, qui pascebant semetipsos, &c.
Quod confractum est, non
alligastis, &c.

CÆLIUS SECUNDUS

Curio, in Antonium Flo-
rebellum.

FVerunt igitur illi coercendi, atque in or-
dinem redigendi, nō propter religionem,
si quam inclusam in animo haberēt, sed pro-
pter seditionem.

Item: quis ignorat, illum sibi utrūque gla-
dium arrogare? ut quod gladius oris non po-
test, hoc ipsum secet gladius manus? Quā in
re non Sabellium modò, sed Arium quoque,
& Macedonium, & Mahometem, tres maxi-
mas orbis pestes, imitatur. Hi enim omnes suā
insana doctrinā acquiescere nolentes vexa-
bant, varijsq; supplicijs afficiebāt: qui autem
acquiescerent, & pro ea defendenda mortem
oppeterent, eos inter martyres, interq; cæli-
tes referebant.

SEBASTIANUS CASTA-

lio, in præfatione in Biblia, ad
Regem Angliæ.

VNde tot, tam graves controversiæ, quæ
neq; tot iam seculis, tot disputationibus
componi potuerūt, & ferè in sanguinem im-
becilliorum

becilliorum erumpunt, dum nemo est qui de suo iudicio dubitet, nemo est qui nō alios damnet? Invidemus, maledicimus, non solum malum malo, sed saepe bonā malo pensamus: & si quis à nobis in aliquo religionis vel puncto dissidet, cū damnamus, & per omnes terrarum angulos lingua styliq; iaculo petimus, & ferro & flamma & undis sevimus, & ex rerum natura indefensos & inopes tollimus: & nobis non licere quenquam interficere dicimus, & tamen Pilato tradimus: & si hunc dimittat, amicum esse Caesaris negamus: & quod est omnium indignissimum, hæc omnia Christi nos studio, & iussu, & nomine facere clamamus, & lupi ferit atē agnina pelle tegimus. O seculum: scilicet Christi studio sanguinary erimus, qui ne aliorū sanguis effundendus esset, ipse suum effudit. Christi studio zizania extirpabimus, qui ne frumentum extirparetur, iussit usq; ad messem relinqui zizania. Christi studio alios persequemur, qui iussit, ut si nobis feriatur mala dextera, obvertamus sinistram. Christi studio inferemus alijs malum, qui nobis, ut pro malo bonū redderemus, præcepit, &c. Et paulò post:

Quod

Quod si quæ sunt in religionis negotio con-
 troversæ (sunt autem plurimæ) in his sequen-
 dum Iudæ Machabæi et suorum factum iudi-
 co, qui de ara solidi sacrificij, cū quid statue-
 rent, nō haberēt, eius lapides in mōte temp!i,
 loco opportuno, posuerunt, donec adveniret
 vates aliquis, qui de ijs oraculū referret. Aut
 potius Mosis, cui disertis verbis modò præce-
 ptum erat, ut si quis contra legem data opera
 commisisset, is capite pœnas daret: & tamen
 eum qui in die Sabbathi lignatus erat, inter-
 ficere noluit, nisi relato super ea re nomina-
 tim oraculo. Et erat Moses fidus Dei minister,
 & eius spiritu non parcè præditus. Ut inte-
 rim nihil dicam de consilio Gamalielis, quò
 ostendit, Si eares ab hominibus est, dissolutū
 iri: sin à Deo est, non posse dissolvi, ne fortè
 contra Deum pugnetur. Quod si has res no-
 bis esse notiores putamus, quam illa Mosis fuit
 (quando ea sunt tempora, ut nemo se errare
 putet) at certè non debemus iudem & accu-
 satores esse, & iudices. potiusq; parendum est
 Paulo, ita præcipienti: Si quis imbecilla fide
 est, huic nulla cū animi dubitatione opitula-
 mini. Tu quis es, qui alienū famulū damnes?

suo Domino stat, aut cadit. Consistet autem:
 tem: potest enim Deus eum stabilire. Tu ve-
 rò cur tuum fratrem damnas? aut tu cur tu-
 um fratrem despicias? Nostrum quisque cau-
 sam pro se dicet apud Deum. Quamobrem
 ne iam damnemus alius alium. Nam si
 damnabimus, damnabimur, & eadē mēsurā
 nobis rependetur. Præstiterit (meo quidē iu-
 dicio) Romanorum legem de vindicijs sequi,
 quæ erat huiusmodi: Si quis, qui se hætenus
 pro libero gessisset, vocabatur in ius ab ali-
 quo, qui eū servū esse assereret, interea dum
 causa pendeat, vindiciæ dabātur secundū
 libertatem: hoc est, is cuius libertati pericu-
 lum creabatur, manebat in eadē conditione,
 qua liberi, donec in iudicio planum factū ac
 pronunciatum esset, utrum is liber an servus
 foret. Et meritò. Cū enim de eius cōditione
 dubitaretur, si fortè liberū esse contigisset, &
 interea pendente lite serviliter habitus esset,
 facta foret homini libero gravis iniuria. At
 quāto id in capitis causa fieri æquius est? præ-
 fertim in religione, in qua peccatur gravissi-
 mē. Expectemus iusti iudicis sententiam,
 & operam demus, non ut ipsi alios damne-
 mus:

mus: sed ut nihil cōmittamus, quamobrem
nobis metuenda sit damnatio. Obediamus iu-
sto iudici, & zizania usque ad messem sinā-
mus, ne fortè frumentum (dum supra magi-
strū sapere volumus) extirpemus. Neq; enim
adhuc ultimus mundi finis est: neq; nos genij
sumus, quibus hac sit mandata p̄vincia. Ad-
de quod absurdum est, spirituale bellū terre-
stribus armis geri. Christianorum hostes sunt
vitia, contra quæ virtutibus certandum est,
& contrarijs remedijs cōtraria mala curan-
da, ut doctrina ignorantiam pellat, iniuri-
am vincat patientia, superbia modestia re-
sistat, pigritie opponatur diligentia, contra
crudelitatem pugnet clementia, simulatio-
nem prosternat sincera & se Deo probans re-
ligiosa mens, animusq; purus, & qui uni Deo
placere studeat. Hac sunt vera Christianæ
religionis, & verè victricia arma: non ut
carnifici mandetur provincia doctoris, &
exteriora poculi prius quàm interiora pur-
gētur. Atq; hac de religione dūtaxat à me di-
ci volo. Nam qđ ad facinora attinet, homici-
dia, adulteria, furtiva, falsa testimonia, & hu-
iusmodi reliqua, quæ Deus & puniri iussit,
& quo

& quo pacto punienda forent præcepit, ea in
 controversiam non vocantur. neque de ijs
 obscure præcepit Deus, & ad bonorum defen-
 sionem pertinent, nisi velimus in nostris cu-
 bilibus iugulari, ut quidem nunc sunt tempo-
 ra. Neque verò periculum est, ne si magistra-
 tus, à Deo ad bonos defendendos constitutus,
 aliquem homicidij cõvictum tollat in crucẽ,
 virum bonum interficiat: neque quisquam
 defendit unquam homicidium, ne homicida
 quidem. Sed religionis & intelligentiæ sacra-
 rum literarum longè est alia ratio. Cum sint
 enim hæc obscure, & sæpè per anigmata tra-
 dita, et de his iam per mille amplius annos di-
 sputetur, nec dum componi res potuerit, neq;
 componi absente omnium controversiarum
 diremptrice, & ignorantie fugatrice, Cha-
 ritate, possit, & ea de causa innocẽte sangui-
 ne repleta terra sit: debemus profectò (quam-
 vis nobis omnia scire videamur) debemus
 inquam metuere, ne inter latrones (quos me-
 ritò crucifigimus) etiam Christum immeri-
 tò crucifigamus. Et si non modò Turcas &
 Iudeos (quorum illi Christum parum amant,
 hi etiam capitaliter oderunt) vivere pati-
 mur

timur apud nos, verumetiam maledicos, superbos, invidios, avaros, impudicos, ebriosos, & cetera hominum flagitia ferimus, & cum ijs vivimus, epulamur, letamur: debemus saltem communem hunc aerem & spiritum ijs concedere, quidem Christi nomen nobiscum profitentur, & nemini nocent, eoq; sunt animo ut mori malint, quam aliud dicere, aut facere; quam quod dici aut fieri debere arbitrantur. Vt interim non dicam, quod nullum hominum genus minus metuendum est. Qui enim vitam mavult amittere, quam dicere quod non sentit (peccaret enim, si faceret: & qui cogit, peccare cogit) non est, credo, metuendum ne is pecunia possit, aut alia re corrumpi. Atque equidem illud mihi persuasi, nullos esse principibus & magistratibus obedientiores, quam eos qui simpliciter Deum metuunt, & in eo quod sciunt, fideles sese prestant. Ceterorum quidem obedientia ficta est, neque durat diutius, quam vel metu cogitur, vel utilitate allicitur. Sed qui conscientia ad obediendum impellitur, quiq; docente Deo didicit magistratibus & potestatibus obediendum esse, etiam iniquis, nedum iustis: huius veram

K

& cetera

& aternã esse obedientiam necesse est, quoniam Deus (qui ei obedientia causa est) verus manet, & aternus. Illud quidem (ut ad propositum redeamus) citra controversiam verum est: Ad pœnitendum properat, citò qui iudicat: & multos iudicasse pœnituit, iudicium suspendisse non pœnituit. Et qui ad clementiam propensior est, quã ad iram, is Dei naturam imitatur: qui cum sciat nos esse fontes, tamen differt sententiam diu, & expectat dum fiat vitæ correctio. Qui enim continuo necat, nullum relinquit pœnitentiæ locum. Quòd si quis his contradicere audebit, necesse erit ut fateatur sanguinem à se oppugnari, à nobis defendi. Vtrius autem facilius futura sit causa dictio apud iudicem Deum, ipse viderit. Illud perspectum habeo, clementia, patientia, benignitatis, obedientia non posse pœnitere quenquam: crudelitatis & temerarij iudicij non posse non pœnitere. Quod si illa tutissima via est, hæc periculorum plena: insanum esse oportet, qui se sciens volensq; in pericula precipitet.

QUAN.

QUANTUM ORBI NOCEANT
 persecutiones, sententia Georgij
 Kleinbergij.

Tot calamitatum, dissidiorum, bellorum
 (quibus hodie totus orbis, & maxime
 Germania concutitur) quin causa sint pec-
 cata nostra, nemo sanus dubitabit. Sed que-
 nam potissimum peccata causa sint, pauci
 querunt. Ego puto, crudelitatem & sevi-
 tiam esse: & car ita putem, in causa sunt
 hæc. Dixit Deus: Quicumq; fuerit huma-
 num sanguinem, fundetur sanguis illius: ad
 imaginem quippe Dei factus est homo. Dixit
 Christus: Qui gladio percutit, gladio peri-
 bit. Dixit Iacobus: Iudicium absq; misericor-
 dia erit ei, qui nõ præstiterit misericordiam.
 Multæ sunt tales sententia, quæ demonstrant,
 sanguinem sanguine puniri. Exemplâ idem
 ostendunt. Abimelech adiutus à Sichemitis,
 interfecit fratres suos. Eam crudelitatem Deus
 utrorumq; sanguine expiavit. Saulus studio
 Israelitarum sevit in Gabaonitas, & eam ob
 causam fame laboratum est triennium: nec
 ea sedari potuit, nisi Sauli genere per-

empto. Israelite sevierunt in Prophetas, & eam ob causam hostibus addicti sunt. Innumera sunt huiusmodi exempla, quibus ostenditur, puniri à Deo nō solum eos qui seviunt, sed etiam eos qui de sevitia vel gaudent, vel nō dolent. Docet hoc Tobias, qui ostendit tribus Israelitarum in calamitatem incidisse: quia cum propter fratrum suorum calamitatem lugere, et se Deo submittere deberent, epulabantur, & voluptati indulgebant. Docet idem & Psal. 137. qui Idumæis mala minatur, quia insultaverint pereuntibus Israelitis. Ut interim taceam multos locos Prophetarum, in quibus eadem traduntur. Sunt autem omnia illa scripta ad nostrā doctrinam, ut cum iisdem pœnis afficimur, easdem esse causas intelligamus. Iisdem pœnis affici nos, notius est quàm ut sit ostendendum. Quòd si nullum sanguinem effudissemus, credi posset aliam esse causam. Nunc cum nostro tempore tantum sanguinis effusum sit, quantum haud scio an alio nunquam: dubitari non debet, quin ob eam rem puniamur. neq; verò de eo sanguine duntaxat loquor, qui bellis effusus est, cuius etiam (si quid iniuste factū est)
erit

erit reddēda ratio: sed de eo potissimum, qui effusus est propter religionem. quæ cū suapte natura talis sit, ut sanguinem sistat (Cudent enim, inquit, ex ensibus lanceisq; suis falces & vomeres) tamen nescio, qua hominum sinistra mente fit, ut nulli ferè plus sanguinis hauriant, quàm qui sibi veram religionem vendicant. Alias gentes præteribo: ad Germaniam veniam, in qua propter religionem factæ sunt paucis annis maxima mutationes: & propter eandem tantū humani sanguinis effusum est, quātum si bestiarum effusum esset, deberent homines ingemiscere. Non multa dicam de inferiore Germania, in qua non singuli aut bini, sed centeni & milleni, denique plena naves summersæ sunt, ut non audeam dicere (quoniam rei atrocitas penè fidem excedit) supra triginta hominum millia, annis circiter triginta, unius hominis imperio propter religionē fuisse deleta. Vix credent hæc cæteræ nationes: sed ignes, sed enses, sed fluvij, sed maria testes sunt. Si princeps nō dicam tot equos, sed tot porcos amisisset, putaret se gravem iacturam fecisse. Quid dicam de Monasterio, in qua urbe videtur nobis

apertissimè ostendisse Deus (nisi planè talpis
 caciores essemus) quantopere sibi displice-
 ant, qui religionem ferro tractant. Primum
 ibi sevitum est in Anabaptistas: hinc nata
 est longa seviendi rabies atq; series. Ipsi A-
 nabaptista rursus sese armis defenderunt,
 & adversariorum multos trucidarunt. Hic
 sanguis sanguine expiatus est. Rursus ipsi-
 met Anabaptista, occisi sūt miserabiliter, fue-
 rant iam antea, qui etiā in inermes sevirēt:
 & quod est sevisissimum, non solum ferro se-
 virent, sed etiam libris, quo latius patēret, &
 diutius duraret, vel potius eterna permane-
 ret sevitia. Non ego hic homicidas, aut adu-
 teros, ceterosq; eius generis maleficos defen-
 do: scio, magistratui contra tales datum esse
 divinitus gladium. Sed propter intelligen-
 tiam locorum Scripturæ, de quibus nondum
 certò constat. (si enim constaret, disputari de-
 sisset, nec ullus tã insanus esset, qui mori susti-
 neret, quo rē certam negaret) propter errores
 inquã (nã si quid hic peccatur, errore pecca-
 tur, cū nulla inde sequatur utilitas, aut volu-
 ptas, aut honos, sed cōtrà) propter hac inquã,
 tã multas & in presentia ferro in nostris dit-
 quibus

nibus, & in posterum libris toto orbe in perpetuum interfici, hoc verò eiusmodi est, ut qui id non deploret, eum hominis pectus habere non existimem. Ostendisse videtur ipse Deus, quantopere illa sibi placerent, cum effecit, ut ille ipse eius sententia author, vir literatus, & toto orbe celebris, non multo post alios inermes interfectos, ipse in acie cum multis ceciderit: id quod ei propter illud commissum accidisse, multi piij credunt. Debebat saltem hoc tam apertum exemplum movere nos: sed metuo ne induraverint quidam cor suum. Pergunt eadem via, & libros de seviendo, hoc est, incendia toto orbe spargunt, ut nullus sit occidendi finis: donec nos fratrum nostrorum cruore cruētos, pastos, pingues, opprimat adventu suo Dominus, & cum hypocrytis collocet. Illi ipsi qui principio adversarios suos hoc potissimum nomine agitarunt, quod ferro disputarent, quoniam veritate nō possent: illi ipsi inquam, vires nacti, adversarios suos imitantur. & postquam eos à quibus reprehendebantur, & ipsos & ipsorum libros lent a flamma torruerunt, in eorundem cineres invehuntur, ut scilicet mortuos vincant,

quos vivos non potuerunt: & contralibro-
rum cineres disputent, omniaquè arbitratu
suo, nullo repugnante, versent. Praclarum
verò iudicium, cum ante occiditur homo,
quàm cognitum sit, an sit occidendus: nec
eius saltem libris permittitur, ut post eius
mortem causam dicant. Et postea accusamus
eos, qui reis linguã amputãt? cum nos & vi-
tam & libros amputemus, ne omnia probari
possint, & quod bonum est teneri. Heu san-
guinaria pectora, heu crudelitatem inaudi-
tam. Quis fuit unquam tam diligens in ser-
vanda hominis vita, quàm isti sint in perdē-
da? O Christe, ô Deus fortis, ô pater futuri
seculi, ô Princeps pacis, ô lux mundi, illumi-
na Principum oculos, ne deinceps crudelitati
satanae, sed misericordiae clementiaq; tuae ser-
viant. O Principes & magistratus omnes, a-
perite oculos, aperite aures, timete Deum, &
cogitate tandē de reddenda Deo ratione vil-
licationis vestrae. Multi graves pœnas dede-
runt, propter crudelitatem: nemo propter cle-
mentia. Multi in extremo iudicio damnabũ-
tur, quia occiderint insontes: nemo damna-
bitur, quia non occiderit. Inclinate potius in
partem

partem clementia, & ne obtemperate eis qui vos ad occidendum impellunt: nec enim vobis erunt presidio, cum erit dicenda causa coram Deo: ipsis satis erit in sua causa negotij. Credite mihi, si Christus adesset, certè certè non consulere vobis, ut eos qui ipsius nomē confitentur, occideretis, etiamsi in quibusdam errarent, ne dicam errare viderentur. Obtemperate potius clementioribus qui vobis consulunt, ut zizania relinquatis usq; ad messem: nam qui ea antè extirpari volunt, extirpant Christi præceptum, qui ea iubet relinquere. Et cum iubent interfici hereticos, eadem opera vetant interfici homicidas & facinorosos, quos tamen lex iubet interfici. Alioqui ostendant quæ sint zizania. Si enim heretici zizania sunt, non debent interfici, sed ad tempus messis relinquere: si heretici zizania non sunt, sed homicida & ceteri facinorosi, oportet facinorosos usque ad tempus messis relinquere, non occidi: quod falsum est. Nam si facinorosi non occiderentur, non posset stare mundus. Atqui necesse est aut hereticos aut facinorosos relinquere usq; ad messem: ex quo consequitur ut qui vult hereticos interfici ante

K v messem,

messem, idem nolit facinorosos interfici: &
 rursum, qui vult facinorosos interfici, idē no-
 lit hereticos interfici nisi velis repudiare
 Christi præceptum de zizanijis relinquendis.
 Quare ô principes, nolite credere ijs qui vobis
 consulunt ut sanguinē effundatis propter re-
 ligionē: nolite eorum esse carnifices. nā mihi
 credite, si affligerētur ipsi, aliter consulerent:
 quemadmodum aliter & earū quidam iam
 consuluerunt, cū persecutionē paterentur: &
 omnes verè Christiani semper consulēt, quo-
 niam (quemadmodū dicit Paulus) Omnes qui
 volunt piè vivere in Christo, persecutionem
 patientur: quod si patientur, nunquā consu-
 lent alijs ut inferant, nā magis quàm Christ⁹
 & Apostoli. Este contenti eo gladio quē vobis
 tradidit Deus: punite latrones, punite prodi-
 tores, falsos testes, & huius generis ceteros.
 Quod ad religionē attinet, defendite pios ad-
 versus aliorū iniurias. hoc vestrū est officiū:
 doctrina theologia vestro gladio tractanda
 nō est. alioquin si hoc à vobis obtinebunt theo-
 logi, ut doctrinā suam armis tractetis: idem
 meritò postulare poterit medicus, ut se armis
 defendatis adversus aliorū medicorū opinio-

*res: idem dialecticus, idem orator, & cetera
 artes. Quod si has artes tractare ferro non
 potestis, ne theologiã quidem: quippe quæ in
 verbis & spiritu sita sit nõ minus q̃ illa. Quod
 si bonus medicus doctrinã suam scientia tueri
 satis potest sine presidio Magistratus, cur non
 idẽ possit Theologus? Potuit Christ⁹ potuerũt
 Apostoli, poterunt etiã eorum imitatores. Vos
 corpora piorũ corporali gladio defendite: a-
 nimos gladius iste attingere nõ potest. Sapite,
 & Christi consiliũ sequimini, non Antichristi:
 alioquin scitote futurũ, ut nullus sit seditio-
 num bellorumq̃ finis, donec miserè pereant o-
 mnes qui sanguinẽ temerè fuderint. Nolite
 putare, tolli seditiones se viendo si se vitia eò
 ventũ esset, ut duo tantũ homines superessent
 in toto mundo: tamen illi duo inter se dissen-
 tirent, & mutuis vulneribus caderent, sicut
 accidit olim Madianitis: & hodiẽ periculum
 est, ne nobis accidat, nisi grassari desinim⁹. Si
 quod esset adversum mala remediũ in sevi-
 tia, iam pridẽ sublata forent omnia mala, cũ
 iã per quinq̃, amplius annorũ millia se viatur
 Sed certa res est, malũ malo nunquam vince-
 tur: nec ullum est adversum cades remediũ,
 nisi ut cades fieri desinant.*

Eius

Eiusdem, ex libro de Religione.

Omnes qui alios persequuntur in causa religionis, id faciunt aut propter invidiam, ut Cainus, qui Abelem interfecit, quia pietate vincebatur ab eo. Itemque Scribae & Pharisei, qui Christo invidebant. Aut propter ambitionem, ut ijdem Scribae & Pharisei, qui Christum oderant, qui ab eo detegebatur eorum hypocrisis. Aut propter avaritiam, ut ijdem qui pietatis specie devorabant domos viduarum, & inde ditescabant: quos cum detegeret Christus, videbant sibi perire lucrum: sicut & Demetrius faber argentarius, qui Paulum ideo persequabatur, quoniam Paulus deos fabriles (quibus fabricandis Demetrius questum faciebat) tollebat. Aut propter voluptatem: ut Herodias quae Ioannem oderat, quoniam ab eo in libidine sua impediabatur. Aut propter Dei studium, cum ignorantia coniunctum: ut Paulus, qui antequam Christianus fuit, putabat se Deo cultum prestare, si Christianos tolleret. Atque his postremis veniam oravit Christus: ignosce illis, inquit, nesciunt enim quid faciunt. Ceteri malicia peccant, & tamen (quod est omnium pessimum) invidiam, ambitionem.

*Ambitionem, avaritiam, luxuriamque suam
zeli nomine tegunt, & populorum oculos, &
fortassis etiam suos, his prestigijs fascinant.
Itaque quanto magis vigeant illa vitia, tanto
maiores erunt propter religionem persecu-
tiones. Vigeant autem ultimis temporibus
maximè, quoniam refrixerit charitas, &
abundabunt scelera. Itaque erunt ultimis tē-
poribus maxima persecutiones per illa sce-
lera.*

*Si igitur, qui persecutionem propter Christi
nomen patiuntur, non sunt pijs, nulli sunt pijs.
quoniam dixit Paulus: Omnes qui pie vive-
re volent in Christo, persecutionem patien-
tur.*

*Si qui tanquam heretici interficiuntur,
non sunt martyres: (aut certè eorum non-
nulli) nullos habet Ecclesia martyres: nulla
enim unquam pro Christo occisi sunt, nisi ti-
tulo hereticorum.*

*Quisquis Iesum credit esse Christum, &
venisse in carne, is natus est ex Deo: ergo
quisquis interficit hominè, qui credit Iesum
esse Christum, interficit hominem natum ex
Deo.*

*Si Christiani malos in hoc mundo propter
fidem persequerentur, regnaret in hoc mun-
do Christiani, atque ita esset Christi regnum
de hoc mundo.*

*Nolite timere pusille grex. Ego mitto vos
sicut oves in medio luporum. Potestne pu-
sillus grex persequi magnum gregem? aut
ovis lupum?*

*Mundus gaudebit: vos autem plorabitis.
utri gaudent? nonne persecutores? utri plo-
rant? nonne qui persecutionem patiuntur?*

*Beati estis, cum vos persecuti fuerint ho-
mines. Quomodo erimus beati, si ipsi alios
persequemur?*

*Qui vult venire post me, tollat crucem
suam. Quomodo post Christum ibimus, si ipsi
alijs crucem imponemus? Nonne Iudeorum
similes erimus, qui iuerunt post Christum, non
ut cum eo crucifigerentur, sed ut eum cruci-
figerent?*

*Christus crucifixus est inter duos latrones:
ergo Christiani habebuntur pro latronibus.
quoniam sicuti latrones homini vitam eri-
piunt (quæ res facit eos invisos) ita Christia-
ni improbis vitam, hoc est, voluptatem (sine
quæ*

qua vitam sibi non vitalem putant) eripiunt, dum eos vel verbis, vel moribus & innocentia sua reprehendunt.

Leena lupem & ovem persequitur: lupus ovem, non leenam persequitur: ovis est ultima, tantum patitur, tantum prodesse scit, non nocere. nihil enim habet infra se.

Sic inter homines, maiores tyranni minores tyrannos & Christianos persequuntur: minores tyranni Christianos persequuntur: verus Christianus est ultimus: nihil nisi prodesse didicit, nocere nemini: nihil enim habet infra se. nam Christiano homine nihil est humilium, nihil clementius, nihil pauperius, nihil imbecillius: denique vermis est, non homo sicut de Christo scripsit David.

Quisquis persecutionem patitur propter fidem, is aut recte sentit, aut errat. Si recte sentit, non debet ledi: si errat, debet ei venia dari. Nam si Christus ihs, à quibus crucifigebatur, veniam oravit, quid errabant: quanto magis ihs qui pro eo se crucifigi sustinent? Et si lex Mosis ihs veniam dat, qui aliquem per imprudentiam

*interfecerint: quanto magis ijs, qui per erro-
rem interfici se sustinent?*

*Si quis errantem ovem nactus, domum
tuam adduceret, quia ovem putaret esse tuam
nonne amares eum propter illam bonam eius
voluntatem; etiamsi ovis tua non esset?
Quod si tu, cum sis malus, id facis, quid
faciet Deus? nonne eos amabit, qui id
quod verum esse putant, defenderint bo-
na fide, etiamsi fortè erraverint, nonne eis
veniam dabit?*

*Innumera sunt alia, quae hac de re dici
possint, sed haec aequis hominibus satis erunt.
Iniqui non nisi icti sapient. Si quis erit ita
sanguinis sitiens, & Antichristi poculo e-
brius, ut velit haec refellere, videat ut & o-
mnia & verè refellat. Sunt enim quidam
callidi & malitiosi sophistae, qui dum verita-
tem oppugnāt (id quod ars eorum facere do-
cet) argumenta infirmiora summis viribus
oppugnant, & in ijs auditorem detinere co-
nantur, ne in ea quae firmiora sunt, inten-
dat: firma autem vel dissimulant & pra-
tereunt, vel leviter, attingunt: nec refel-
lunt, quasi iam refutata fuerint aut refu-
ta-*

tatione non egeant: vel ea ita obscure tra-
ctant, ut eos intelligat nemo. Deniq; ad op-
primendam veritatem depromunt univer-
fas Aristotelam & Ciceronum artes, ut tene-
bras offundant oculis iudicum: sicuti se fe-
cisse magister illorum Cicero alicubi iactat.
Ne errent, tenebras istas discutiet adventu
suo clarissima lux: & quamvis multos inter-
ficiant, etiamsi superessent tantum tres, &
ij confossi, tamen illi tres, eorum castra expu-
gnabunt & incendunt, & omnes eorum ar-
tes luce palam detegent. Satis iam diu re-
gnavit sanguine sanctorum ebria Hypocri-
sis, brevi veniet eius hora. Illud volo admo-
nitos omnes Principes & populos, ut caveant
seditiones & tumultus, qui solent ex perse-
cutationibus oriri, sicut ostendunt exempla.
Primum, tempore Machabeorum maxima &
longissima bella extiterunt, propter persecu-
tiones Antiochi Epiphanis, qui Iudeos pro-
pter religionem infestavit: nec finiri malum
id potuit, nisi cessante persecutione. Deinde
Hierosolymis perniciosissimi tumultus exti-
terunt, quia Scribae & Pharisei Christum
persecuti sunt: cum antea nulle essent tales

*turbæ. Idem postea accidit in Paulo, qui cum
 Ephesi sine ulla turba doceret, extitit De-
 metrius faber argentarius, qui sua perse-
 cutione tantam seditionem excitavit, ut
 tota urbs tumultu confunderetur. Idem po-
 stea fecerunt Iudæi, qui Paulum in templo
 nulla turba nacti, persecuti sunt, & ita
 maximos tumultus effecerunt. Idem nostro
 tempore videre lisset. Nam ubicunq; sunt
 persecutiones, ibi sunt omnia plena tur-
 barum: ubi verò absunt persecutiones, quã-
 vis diverse sint religiones, omnia sunt tran-
 quilliora. Novi ego aliquot urbes, in quib.
 sunt ferè tot sententiæ, quot capita: tamen
 quia cessat persecutio, cessant seditiones. E.e-
 dem, si excitaretur persecutio, turbis confun-
 derentur. Sunt Constantinopoli Turcæ, sunt
 Christiani, sunt & Iudæi, tres nationes in-
 ter se de religione maximè dissentientes, quæ
 tamen inter se pacatè vivunt: quod pro-
 fectò fieri non posset, si essent ibi persecu-
 tiones. Perpendatur hæc res: deprehende-
 tur, persecutiones semper maximorum ma-
 lorum causam extitisse. Quare si vultis,
 ô Principes & Magistratus, vestras res ha-
 bere*

Eere tranquillas, nolite ijs obtemperare, qui vos ad persequendum incitant. Sunt enim seditiosi; cum tamen alios seditionis accusent (sicuti Iudaei Christum, qui ipsi seditionem excitabant) & domum Christi (que charitate debet edificari) odijs & sanguine edificare volunt. Quod si eos non cavebitis, mihi credite, vestra regna & respublicas, & civitates & animas, & corpora funditus & in sempiternum perdent: & in eandem vos infelicitatem redigent, in quam Scribae & Pharisei Iudaicam gentem suis persecutionibus sanguinarijsq; consilijs redegerunt.

BASILII MONTFORTII

Refutatio eorum que pro persecutione dici solent.

Sunt quidam, qui volunt omnes hereticos, hoc est, ab ipsis dissentientes interfici, cuiuscunq; sint generis aut nationis, si modo fieri possit. Alij putant non, esse invadendos alienos: quemadmodum Israelitis non erat mandatum, ut peregrinas gentes invaderent, sed in sui corporis homines animad-

verterent. Talis est lupi cautio, qui leonem
 non invadit: tutius est ovem. Atque ut hæc
 Principibus & potentatibus persuadere pos-
 sint, colligunt ex universis sacris literis, qua-
 cumque illos ad fundendum sanguinem possint
 impellere. Cumque scriptores nonnulli opinio-
 nes eorum refutaverint, tamen in eo perse-
 verant: neque quemquam nisi persecutorem
 audiunt. id quod mihi non Christi instinctu
 (neque enim armis defendi se sustinet Chri-
 stus, cum ad eam rem facile possit si velit,
 duodecim legiones angelorum impetrare)
 facere videntur, sed ut potentiam suam,
 mundanumque regnum mundanis possint ar-
 mis defendere. Hoc ita esse, perspicitur ex
 eo, quod principio cum pauperes essent, & si-
 ne potestate, detestabantur persecutores: ij-
 dem vires nacti imitantur persecutores, &
 omissis armis Christi, sumunt arma Pharisæ-
 orum, sine quibus potentiam suam tueri ne-
 queunt. Ego qui videam, quantum in son-
 tis sanguinis ab orbe condito fustum sit sub
 specie religionis, utque iusti ferè semper inter-
 fecti fuerint antè quam cogniti, metuo ne
 idem accidat nostro tempore: hoc est, ne tan-
 quam

*quàm iniustos occidamus, quos posteri nos rē
 pro iustis veneraturi sint. Hac de causa re-
 futavi, ut potui, in hoc scripto, argumenta
 eorum bono & religioso studio: ut si fieri po-
 test, aperiant oculos: ut si fortè inscientes er-
 rant, errare desinant. Prestat enim serò re-
 sipiscere, quàm nunquam. Deinde, ut alijs
 autoritate eorum non decipiantur. Itaque
 precor eos, ut hoc meum studium equis ani-
 mis, sicuti Christianos decet, accipiant, & si-
 bi aliquando veritatis causa contradici pa-
 tiantur. Hoc si facient, tempus erit, cum
 Deo hac de re gratias agent. Equidem liben-
 ter eos ipse adivissem, & cum eis amicè &
 Christianè contulissem. Sed quoniam ipsi fer-
 ro, flammis, aquis disputant, nos nullo ferro
 armati (ferro enim nobis in hoc bello Chri-
 stus interdixit) verbo eminus, ut Ierobaalis
 filius Iotham, rem geremus. Bellum est Chri-
 sti, Christi armis gerendum. Christus ipse iu-
 dex esto, & eos qui persecutionem patiun-
 tur, quoniam ipse persecutionem passus est,
 defendat: & persecutoribus mentem ape-
 riat, ut videant quæ faciunt sacrificia, non
 placere Deo: atq; ita mutati sanentur, & ser-*

ventur. Igitur ad rem veniamus. Addu-
 cunt ex Exodo legem: Qui immolat dijs pre-
 terquam Domino soli, exterminetur. Quaero
 igitur, utrum immolationem hanc corpora-
 le intelligant, an spirituaalem. Si corporalem,
 primùm oportet ut totam Mosis legem revo-
 cent, & immolatores corporaliter puniant:
 quod si faciunt, volunt iustificari ex operi-
 bus legis. atq; ita à Christo excluduntur, in
 quo vetera praterierunt, nova facta sunt o-
 mnia. Deinde nemo ob hanc legem punie-
 tur: nemo enim alieno Deo corporaliter sa-
 crificat, ne Turcae quidem; non Iovi, non
 Mercurio, non Soli aut Luna, sed Deo Mosis.
 Sin spirituaaliter, (quemadmodum vult in-
 telligi Paulus, cum loquitur de hostia ratio-
 nali) primi sunt occidendi qui sacrificant
 Deo suo Mazim, hoc est, violentia & cru-
 delitati: propter quod sacrificium occidentur
 sanè, nisi resipuerint. sed occidentur spiritua-
 liter, verbo & igne Christi: quemadmodum
 & avari, quorum avaritia est idololatria:
 & gulosi, quorum Deus venter est, interfici-
 entur eodem gladio, pronunciante Paulo
 eos non intraturos esse in regnum Dei. Item,

qui sacrificant ventri suo, cum vivant in contentionibus & iurgijs: quales homines non Christo serviunt, inquit Paulus, sed ventri suo. Hæc est vera idololatria Novitesti, cuius nihil nisi umbra & figura fuit illa quæ scribitur in Vetere: ex quo consequitur, etiam pœnam illam veteris fuisse figuram pœnæ non temporalis, sed æternæ.

Adducunt alium locum ex Deut. 13. in quo iubetur interfici falsus propheta. Primum quero, ecquis sit falsus propheta? Moses enim eo loco eum esse falsum prophetam docet, qui prædicit aliquid futurum, idque evenit, & idem docet colere deos peregrinos. At hodie non sic iudicari solent de falsis prophetis aut hæreticis, sed ex opinionibus iudicantur. Atqui perdifficile est in tanta opinionum varietate, & animorum dissensione, id iudicare: etiã si quis alicubi hallucinetur in aliquo religionis loco, dum fundamentum teneat. Si enim quilibet error in articulo fidei, aut locus scripturæ sinistra intellectus, aut pervicacius defensus, facit hæreticum aut falsum prophetam, morte plectendum: nulli magis tenentur ea lege, quam qui alios.

docent: cum vix duo possint inveniri in una urbe, qui in omnibus inter se consentiant, etiam si dissensionem tegant propter pacem communem, aut ne ceteris dent occasionem malè de se cogitandi, aut ut declinent invidiam. Sed fingamus de pseudo propheta iudicari posse, tamen non potest etiam secundum illam legem hereticus interfici: nisi prædicat futura, eaq; eveniant, ut possit pseudo propheta dici (non enim idem est pseudo propheta & hereticus) & hortetur ad alienos deos colendos, qualis inter Christianos nemo adhuc inventus est. Sed dicent, eos qui perperam interpretantur sacras literas, abducere alios à vero cultu Dei, atq; ita hortari ad cultum deorum alienorum: id quod falsum est, & ad fundendum sanguinem diaboliùs excogitatum. Nam qui super fundamento Christo edificat, quamvis fœnum aut stipulam edificet, tamen servabitur ipse, tametsi eius opus peribit. Quod si servabitur, veri certè Dei cultu servabitur. Hinc dicit Paulus, Christum pro eo etiam mortuù esse, qui carne vesci non putat licere, cum tamen is sacras literas perperam intelligat.

Dat

Dat enim ignorantia veniam Deus. Taceo, quòd cum sint innumerabiles sectæ, quarum nulla cum alia in interpretatione sacrarum literarum consentiat: oporteret omnes interfici, excepta una, & ea minima, quandoquidẽ Christi grex parvulus est: quòd quàm sit absurdum, & quàm fieri non possit, quis non videt? Postremò si id eis concederemus, tamen non possent occidi tales, nisi gladio spiritus, sicuti suprà demonstratum est. Adducunt exemplum blasphemi ex Levitico: cum urbes habeamus plenas ebriosorum hominum, quibus nescias utrum blasphemare an potare sit consuetius: neq; de eorum blasphemys, quin verè sint blasphemia, dubitatur, & tamen eos non interficimus. At hæreticos (ut vocant) neq; conscientia sua (qui maximus testis est) neq; duorum aut trium testimonio, blasphemia convictos (nisi fortè pro testimonio haberi debet, accusatorum, hoc est, magistrorum vox) volunt interfici, cum eos usq; ad messem Christus iubeat relinquere: ante quam messem tolli non potest omnis ambiguitas. Taceo quòd sunt maximè blasphemii, & secundum legem illam interficien-

di, quicumque Deum ore profitentes, factis negant: cum id causa sit, ut nomen Dei blasphemetur apud gentes. Legatur Rom. 2. & patebit quinam sint verè blasphemi: qui tamen omnes corporali gladio interficere neque possunt; neque debent.

Adducunt etiam exemplum eius qui violarat Sabbatum. quod, si de Sabbato Iudaeico servari volunt, omnes sunt lapidandi, præter Iudæos: sin de eo Sabbato, cuius fit mentio in epistola ad Hebræos, nihil ad rem pertinet. Est enim ibi facta translatio peccati corporalis, ad spirituale: ex quo consequitur, debere pœnam quoque spirituale esse, non corporalem. Citant deinde Levitas, qui eos interfecerunt, qui vitulum fecerant. ad quod satis iam responsum est. Corporalem vitulum, corporalis pœna secuta est: spirituale, spiritualis sequitur. Posset eadem ratione citari Achan, qui propter sacrilegium suum lapidatus est, unà cum universa familia & pecore suo: quod factum si placet imitari, interficiamus etiam totas familias hereticorum: vel potius redeamus ad Mosem, & circuncidamur,



& Christo repudiato, alium cum Iudæis sub
 legis umbra expectemus. Etenim quemad-
 modum Moses Iordanem non traiecit, nec
 in beatam terram venit: ita qui sub Mosis
 lege vivunt, non intrant in Christi fœlici-
 tatem. At si saltem ea ex Mose imitentur,
 quæ sunt meliora, & ad Christi clementiam
 propius accedunt: quale erat ipsius Mosis
 factum, qui iratum Israelitis Deum pla-
 cabat (cum tamen illi Mosem ipsum lapi-
 dare vellent) & de libro vitæ deleri ma-
 lebat, quàm si illi perderentur. Nunc de-
 ligere ex eius lege durissima quæque, & san-
 guinem omni arte appetere, hoc verò est à
 Christi benignitate alienissimum. At ci-
 tant etiam (si superis placet) Eliam, qui
 Baalis sacerdotes mactavit. in quo mali-
 ciosè sanè faciunt, qui non eiusdem Elie
 factum illud commemorant, cum ignem de
 cælo devocavit, qui milites absumpsit. quod
 profectò non omisissent, nisi viderent
 Apostolos à Christo reprebensos esse, dum
 illud Elie factum volunt imitari. Ne-
 scitis cuius spiritus sitis, inquit: filius
 hominis non venit ut vitam eripiat, sed ut
 servet.

servet. At isti quod in Apostolis reprehendit
 Christus, id faciendum esse censent; ut in-
 telligamus, eos non venisse ut servent, sed ut
 perdant. Volunt interfici sacerdotes Baalis.
 Primum, qui nam ij sint, nondum omnino
 certum est: at Eliæ tempore certum erat, &
 ipsimet sacerdotes Baalem profitebantur,
 cum hodiè hereticorum nemo alienum deum
 profiteatur. Deinde Elias ignem de cælo im-
 petravit ad comburendum sacrificium, etiã
 aquater conspersum: id quod Baalenses fa-
 cere non potuerant. Itaq; hac victoria poti-
 tus, de illis triumphavit, hoc est, eos inter-
 fecit. At isti volunt triumphare sine victo-
 ria. Quem enim unquam ignem de cælo de-
 vocarunt? Sacrificium Deo acceptum est
 spiritus contribulatus, cor contritum & hu-
 miliatum, hostia vivens, sancta, accepta
 Deo, populus Deo obediens, & ei in spiritu &
 veritate serviens. Talem populum si ha-
 bent, & si ad hoc incendendum sacrificium,
 charitatis ignem & spiritum de cælo devoca-
 runt, est sanè quod meritò de Baalis sacerdo-
 tibus triumphent: & eos gladio nõ corporali,
 sed spirituali & ancipiti, hoc est, vivo Dei
 verbo

verbo iugulent. Sin populum habent rebellū
 & contumacē, & totas noctes pergracantem
 (id quod ipsimet pro suggestu magna voce te-
 stari solent) neq; adhuc cū clamaverint usq;
 ad vesperam, ullum charitatis ignem obtine-
 re potuerunt, quin omnia in deterius abeant,
 eousq; ut ipsi sepē pastores ab ovibus suis in e-
 xilium detrudantur: desinant Eliæ trium-
 phum imitari velle, cuius victoriam imitari
 nequeunt. Cetera quæ de Iehu, de Ioiada, de
 Nabuchodonosore asserant eiusmodi sunt, ut
 appareat eos Brentij rationes (qui ad ea o-
 mnia semel respondit) nunquam benè aut
 benignè perpendisse. Faciunt Christi regnū
 mundanum, qui tamen dixit, Meum regnū
 non est de hoc mundo: itaq; debitores sunt
 totius legis implenda, postquam sub lege sta-
 re volunt. Mirum est, eos non citare Phineē,
 qui homines indemnatos ipse sua manu trun-
 cavit, id quod isti sibi fas esse negant. Dicunt
 enim: Nobis non licet interficere quenquam.
 Atqui Phinees & Samuel fecerunt. Quod si
 placet veteres imitari, faciamus & ipsi: &
 omisso Novo testamento, ad Vetus reverta-
 mur, & omnes interficiamus, quos illi iubet
 Deus

Deus interfici: videlicet adulteros, & pater-
 ventibus inobedientes, & incircumcisos, &
 Pascha non agentes; & huius generis al-
 tios. Sed adducunt etiam ex novo quedam:
 Quenam tandem? an illud, Ego mitto
 vos, sicut oves in medio luporum? Nequa-
 quam. An illud, Beati estis cum vos per-
 secuti fuerint homines? An illud, Mun-
 dus gaudebit; vos plorabitis? Nihil ta-
 le. Sed illud: Petrus Ananiam & Saphi-
 ram sternit propter hypocrisim & menda-
 cium, sive fictam religionem. Et Paulus
 Elymam Magum quasi erutis oculis cæ-
 cum reddit. O cæcitatem, non vident se
 suo gladio iugulari. Primum enim Pe-
 trus illum, quia spiritui sancto mentitus es-
 set; interfecit: si tamen Petrus id fecit;
 ac non potius Deus. Isti contra non nisi
 eos interficiunt, qui mentiri nolunt. Nam
 si quis in eorum religionem verbis & ex-
 teriore facto consentit, non necatur, eti-
 am si animo sit alienus: ex quo apparet;
 apud eos locum esse mendacio magis, quam
 veritati: cum si quis dicat quod sentit,
 occidatur. Quod si dicent; se de animo

*iudicare non posse, sed hominem ex ipsius
 verbis iudicare: desinant Petrum citare,
 qui de Ananie animo, à nemine nisi à
 spiritu sancto doctus, iudicavit: id quod
 ipsi facere non possunt, quippe non eo spi-
 ritu præditi. Deinde Ananie non pro-
 pter heresim accidit illud, sed quod par-
 tiri voluit cum Domino, cum debere, aut
 nihil, aut totum dare: id quod declarat
 Petrus, dum ait, Nonne prorsus tibi ma-
 nebat ager? & venundatus erat in tua
 potestate? quasi hoc dicat: Nemo te
 cogebat vendere, aut afferre: neque eos
 cogimus, qui nihil afferunt. At isti vo-
 lunt etiam in eos animadvertere, qui i-
 psorum religioni nomen non dederunt: cur
 non eadem dicunt quæ Petrus? Nos nemi-
 nem sua bona vendere, & Christo offer-
 re: hoc est, neminem sibi renunciare co-
 gimus. Sed si quis sua sponte renunciat,
 oportet ut sibi toti renunciaret, & Domino
 hostiam integram & immaculatam offe-
 rat. Nam Dominus totum hominem habere
 vult, sicuti maritus uxorem. Quod si quis Deo*

*non toto corde servit, sed minus prestat
 quàm potest, is verè Ananiam imitatur.
 Præterea quod fecit Petrus verbo, id tribue-
 re gladio, est absurdissimum: & videntur
 hanc absurditatem sentire. itaq; huic oc-
 currere conantur his verbis: Neq; admodum
 refert, cadatur aliquis gladio, poculis, an
 verbis. Occidere, est occidere, quocunq; fiat
 modo aut instrumento. Et Deus agit per A-
 postolos, idem ille agit per magistratum. Nam
 ultio est Dei, qui illam tradit magistratui,
 virisq; primarijs exercendam, vel sumen-
 dam de facinorosis. Hæc sunt eorum verba.
 Ita ne verò? non admodum refert, cadatur
 aliquis gladio, poculis, an verbis? Cur ergo
 Antichristum non sternit Christus gladio,
 sed spiritu oris sui? Cur arma militiæ Pauli
 non sunt carnalia? Cur tum Petrus ipse non
 usus est gladio, sicut in Malcho uti voluerat,
 sicut antè fecerant Moses & Phinees? Non-
 né quia veteris testamenti gladius nihil nisi
 figura fuerat gladij verbi Dei, qui adhiben-
 dus erat in Novo testamento: eamq; ob cau-
 sam iussit Christus Petro, ut reconderet gla-
 dium, scilicet carnalem: & stringeret spiri-
 tua-*

tualem, id quod fecit in Anania? Quid di-
cimus? suntne hæc vera, an refelli possunt?
An figuram & rem volumus confundere, &
ex gladio & poculis & verbis idem facere?
Quid sibi vult Iesus illis verbis? Cum esses
iunior, cingebas te, & ambulabas quò vole-
bas: cum autem senueris, extends manus
tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.
Nonné significabat Petrum gladio non occi-
surum, sed ipsum occisum iri? Sed occidere,
est occidere, quocunq; fiat modo aut instru-
mento. Credo. Et quidem sanare est sanare,
quocunq; fiat modo, aut instrumento. An
propterea dicemus, non admodum referre,
sanetur socrus Petri verbis Christi, an me-
dicinâ Galeni? Si vultis occidere Ananiam,
resuscitate etiam Dorcadem. Si Magistratus
occidit gladio, sicut Petrus verbo: cur non
eodem gladio mortuos resuscitare potest, si-
cut Petrus verbo potuit? Occidere gladio etiã
latro potest: sed verbo non potest. Ostendite,
vos plus posse quàm latrones, aut quàm po-
tuerunt Scribae & Pharisei, qui Iesum gladio
occiderunt: occidite illos verbo, utimini Pe-
tri telo, si id ab eo accepistis: tunc confitebi-

mur vos esse Petri discipulos. Alioquin quis
 non credet, verbum vestrum migrasse in
 gladium, & vos ex vomeribus falcibusque
 vestris cudisse enses & lanceas? At magi-
 stratus est, punire facinorosos. Rectè dicis:
 sed quos tandem facinorosos? An erat Ana-
 nias facinorosus? aut tu, si magistratus esses,
 Ananiam, pro facinoroso punires? qua lege?
 quid commisit? Mentitus est spiritui san-
 cto. Et quotusquisque hodiè non mentitur
 spiritui sancto? Cum vester populus vobis
 verba praeuntibus dicit, Pater noster, qui es
 in caelis, &c. quotusquisque ibi est, qui se-
 gerat ut decet Dei filium, qui velit Dei
 nomen sanctificari, eius regnum venire, &
 voluntatem fieri? Quotusquisque est qui
 nolit suam, non Dei, voluntatem fieri?
 suam, non Dei, regnum venire? Annon o-
 mnes in id dies & noctes elaborant, ut sum-
 mas opes, summamq; potentiam sibi compa-
 rent? An propterea velles omnes à magi-
 stratu iugulari? Nonné vides toto caelo dif-
 ferre magistratus & pastoris officium? vel-
 lesné, si magistratus esses, occidere pueros
 illos, qui Eliseum deridebant? Non posses.

Nulla

Nulla enim lex iubet occidi derisores: & magistratus neminem, nisi iussu legis, potest interficere. Quod idem dico de militibus illis, in quos Elias ignem de caelo devocavit, qui eos cremavit. In eos magistratus nullam potestatem habuisset, nihil enim commiserant: quin in eo ipso, magistratui, hoc est, regi, obediebant, qui eis imperaverat ut Eliam accerserent. Hic videmus longè aliud esse officium pastoris, quàm magistratus. quemadmodum quidam vobis satis notus declarat his verbis: Nihil sibi sumit Ecclesia, quod sit proprium magistratus: neque hoc efficere potest magistratus, quod ab Ecclesia peragitur. Quae verba si vera confiteris, non potuisset magistratus occidere Ananiam, & porro neque quendam hereticorum, aut eorum qui verbo puniendi sunt: alioquin privat magistratus Apostolos telo ipsorum. Quod si magistratus ferro occidere potest, quos debet pastor occidere verbo: oportet, ut vicissim pastor verbo occidere possit, quos decet magistratus occidere ferro: nec enim magis potest magistra-

*tus officium pastoris agere, quàm pastor officium magistratus. Cur omnia confundimus? Si verbum habetis, eo este contenti, & ipsi verbo punite hæreticos, hypocritas, avaros, &c. & magistratum sinite gladio punire facinorosos, & oculum pro oculo, & dentem pro dente, & vitam pro vita, & pecuniam pro pecunia exigere. Sin verbum vestrum imbecillius est, sinite eos vivere, quos telo vestro vincere non potestis: ne similes sitis puerorum in scholis disputantiũ, qui si quando rationibus superiores esse nequeunt, involant in capillos. Voluit Deus ostendere in Anania, quas pœnas passuri sint, qui non se totos dicabunt cultui divino, & qui mentientur spiritui sancto, cum se non plus prestare posse dicent, quàm præstant. Sed fuit illud in figura factum: quemadmodum etiam Christi crucifixio, quam Paulus declarat, dum dicit eos qui Christi sunt, carnem suam crucifixisse cum suis concupiscentijs. Paulus ipsum Christum non iam secundum carnem cognoscebat, sed secundum spiritum: & nos ipsum Paulum & Petrum cognoscemus secundum carnem? Cur non imitamur ergo
 eos*

eos in sanandis egrotis, aut resuscitandis
 mortuis? Quod si non possumus, nolimus vi-
 tam ijs adimere, quibus vitam dare non pos-
 sumus: praesertim vet ante Domino, cui stant
 aut cadunt. Paulus Iudaeos ne contemni qui-
 dem vult, qui tamen Christum totum negant
 & detestantur: & nos eos interficiemus, qui
 Christum confitentur, sed aliquem scripturae
 locum aliter intelligunt, quam nos? quasi
 verò nos ipsi inter nos consentiamus, cum se-
 pè decem opiniones super uno loco afferre so-
 leamus. Iam illa ratio qualis est? Iure puni-
 untur adulteri, homicidae, impostores & blas-
 phemi: ergo optimo iure occiduntur pseudo-
 prophetae aut heretici. quod perinde est, ac si
 dicas: Qui odit fratrem suum, homicida est:
 ergo debet occidi. Ita est, debet occidi, sed
 gladio spirituali, quoniam spirituale pecca-
 tum committit: quod idem de hereticis dico.
 Alioquin si velis occidere omnes qui aliquem
 oderunt, aut qui uxorem alterius concupi-
 scunt, aut qui fratrem suum appellant fatuū,
 aut raca, vide ne vobis urbes hominibus va-
 cuæ relinquantur. Adducunt etiam Impe-
 ratorum exempla vel decreta, de puniendis

hereticis: in quo non vident, sese tyrannis,
gladium etiam contra seipfos in manum
tradere. Habentur enim ab Imperatoribus
pro hereticis: nec ullos ferè Christus habuit
martyres, qui non vel ab imperatoribus, vel
ab Imperatorum imitatoribus fuerint in-
terfecti. Postquam enim gentiles in Christia-
nos seuire desierunt, ipsi Christiani (ne de-
essent tyranni) idem facere cœperunt.
At antiqui Imperatores fuerunt iustiores.
Credo, si iustiora fecerunt. Itaque si quan-
do religionem liberam reliquerunt, possunt
eorum exempla vel decreta adduci con-
tra crudelitatem eorum, qui contrà faciunt.
Eos autem sapè reliquisse liberam religio-
nem, facile ostendi potest. Nam Gratianus
cum iuniore Valentiniano regno potitus, ab
exilio revocatus, omnibus lege sancivit, ut
unaqueq; religio licitè sacra celebraret: so-
las verò ab ecclesijs prohibuit Eunomianos,
Photinianos, Manicheos.

Sozomenus Tripart. lib. 7. cap. 12.

Valentinianus cum ita saperet, sicut Ni-
ceni patres, similia proferentes, proderat: ali-
ter sapientib. non erat importunus. Idem
lib. 8. cap. 1.

Legem protulit Valentinianus publicè per civitates propositam, sancientem, ut liceret, si quis vellet, habere duas uxores. Et lib. 8. cap. 12.

Themistius philosophus Valentem ab orthodoxorum nece avocavit his rationibus, quòd non oporteret Casarem crudelem esse, propter discordiam ecclesiasticorum dogmatum: quando etiam apud Paganos, plusquam trecentarum sectarum differentia, videretur unusquisq; pro dogmate Christi in sententia diversa consistere. Et fortè hoc Deo gratum magis esset, dum non facile cognoscitur, & diverso modo glorificatur: ut unusquisq; amplius timeat, dum integritatem eius scientia, vel quo modo, aut qualis quantusq; sit, magis ignorat. His ratiocinationibus aliquantulum mitior factus est Imperator.

Socrates lib. 9. cap. 19.

Theodosius dogma Consubstantialitatis amplexus, ceteros omnes Constantinopoli expulit, exceptis Novatianis, quos passus est proprias tenere ecclesias in civitate, & privilegium suæ ecclesie & fidei possidere.

Ceterum alio quoque loco Ecclesiastica historia.

Sosomenus:

Imperator interea lege sancivit, ut heretici neque ecclesias haberent, neque de fide docerent, neque episcopos aut alios ordinarent: & alios quidem à civitatibus expelli, alios sine honore esse. Atque frui communi civitate permisit, insuper crudeles pœnas adversus eos in lege conscripsit, quas tamen executus non est. Huc enim spectabat, ut per hoc concordēs existerent, non enim supplicio subiecerunt.

Idem lib. 9. cap. 36.

Erat ecclesia divisa in Consubstantiales, Arianos, Novatianos, Macedonianos, & Eunomianos. Hoc sciendum est, quod Imp. Theodosius, nullum horum persequeretur, præter Eunomium, qui Constantinopoli collectas in domo faciebat, & conscriptos à se libros recitabat, ita ut eius doctrina multi corrumperentur. Pro qua causa eum multavit exilio, nullumque alium fatigavit: neque sibi communicare compulit, sed singulos per loca propria collectas facere permisit, & cultum tenere Christianismi, sicut præcipere potuit.

potuit. Et alios quidem permisit extra civitatem oratoria fabricare: Novatianis autem concordibus suae fidei intra urbem ecclesias habere concessit.

Quadraginta annis Agelius praesul fuit Novatianorum, à temporibus Constantini, usq; ad annum sextum Theodosii.

Novatiani synodum celebrarunt apud Sangatium Bithyniae, in qua regulam protulerunt, qua singulis liceret, cum vellet, celebrare Pascha: ne propter discordiam festivitatis dividerent ecclesiam, cum antiqui & Apostolis proximi, licet discordantes de tali festivitate, communicarent tamen inter se.

Sosomenus lib. 10. cap. 22.

In gratiam Arsatiij atque Porphyrij, nec nō Theophili Alexandrinae civitatis episcopi, pridem studio procerum posita lex fuerat, iubens omnes in ecclesiam convenire: & qui non communicarent, procul expelli. Sed quoniam plurimi contra Ioannem Chrysostomū consenserant, iterum facta est magna divisio, ita ut Missas apud seipsos plurimi celebrarent, & scandala provenirent.

M S

Idem

Idem lib. II. cap. 2.

Anno 411. imperante Honorio, *Annas* erat episcopus Constantinopolitanus, vir clarus & eruditus, venerabilis atque prudens. Unde etiam ecclesias magnum sub eo sumere contigit incrementum. Non enim solis propriae fidei personis munificus erat, sed etiam hereticis miraculum suae sapientiae demonstrabat: quos vexare quidem nolebat. cum verò eos terrere tentasset, denuò mansuetudinē ostentabat. Et. cap. 3.

In Sinnada Pacatiana Phrygiae civitate, Theodosius quidam erat episcopus, & Macedonianos, cum illic plures essent, insequeretur: & non solum eos à civitate, sed etiam ab agris nimia crudelitate pellebat: cum orthodoxorum ecclesia persecutiones inferre non soleat.

Contra quos (Macedonianos) universos, tam clericos quam iudices provinciales armabat, & precipuè Agapitum eorum episcopum turbabat. Quumq; iudices provincia ad inferenda tormenta sibi sufficere non putaret, Constantinopolim est profectus, ut praefectorum auxilia mereretur. Postea Agapitus do-

gma

gma consubstantialitatis recipiens admittitur, Sinnadensi episcopo Theodosio à suis expulso, vel non admisso.

Hæc sunt antiquorum exempla æquitatis & clementiæ, quæ nobis imitari licet.

Sed si quando eadem fecerunt quæ nostri, nihilo fuerunt meliores nostris. Quòd si vultis, ut illorum violentia pro nobis violentis adversus infirmiores locum habeat, patiamineorundem clementiam à clementibus pro infirmioribus adduci. Sin clementiam repudiatis, liceat nobis repudiare violentiam, quæ nõ in Christi, sed in Antichristi castris semper militavit. Tædet refellere tam frivola, quæ afferuntur ad excitandas persecutiones. Colliguntur sedulò omnia, ab orbe condito tam facta quàm dicta, quibus possit elici sanguis, quem sisti decebat omnibus rationibus. Repudiatur dictum Pauli, quo Titum monuit, ut hereticum hominem post unam aut alteram admonitionem devitaret. Scribebat Paulus ad apostolũ, inquit: Si ad Sergium Paulum, aut presidem aliquem scripsisset, proculdubio & huic præscripsisset suum officium. Ita

ere-

credo: Sergio præscripsisset, ut in crucem tolleretur omnes Iudæos, homines hæreticos, & Christo infensissimos. Audis hæc, ô Paule: quid respondes? Optarim ego anathema à Christo fieri propter Iudæos. Ergo né eos iuberet interfici, propter quorum salutem velles ipse salute privari? Desinamus queso tam absurda de Paulo fingere, nevé eum nostri fuisse similem putemus. At enim Elymam pseudopropheta corporali percutit cecitate: quo facto, Sergio Paulus demonstravit, quid deceat magistratum. Certè: si modò vera est illa sententia, quam paulo antè diximus, quæ dicit nihil effici posse à magistratu, quod ab Ecclesia peragitur. Ostendit enim ibi Paulus, pseudopropheta à magistratu puniri non posse, sed ab apostolo. Itaq; quo minus omnes pseudoprophetae ita puniantur, non recusamus: sic enim scietur, hæc Dei voluntate fieri. Sed blasphemant hæretici. Primum blasphemant totus mundus, qui Deum verbis confidentes, factis & corde negant. Dicit insipiens in corde suo, non est Deus. qua blasphemia maior esse que potest? At id occultum est. Imò apertissimum. Nam id præseferunt sicut Sodomis

domitani, seq. vulgo de suis flagitijs iactant, ut testantur ipsi magistri. Deinde ut supra demonstratum est, nondum perfecte scitur, qui nam sint vere heretici. Nam Christus ipse cum suis habitus est pro heretico; efficientibus hoc Scribis & pharisais. Quod si ecclesie nostre carent Scribis & pharisais, miror ante messem extirpata esse zizania. Sin habent Scribas & phariseos, veniat Christus quando volet: non minus nunc dicetur de eo, Blasphemavit, quam tum dictum est. Habebunt enim illi semper potestatem, semperq. populi iudicio, ut tum factum est, probabuntur, atq. ita veritas repudiabitur, donec eos detegat lux Domini. Quod si statutum erit interficiendos esse pseudoprophetas, certe certe Christus ipse interficietur in suis: idq. ante factum erit, quam animadversum. Cognosci debent, antequam interfici. At enim nocent ceteris. Credo et vellem, si fieri posset, omnes vere hereticos, & veritatis hostes esse sublatos, si ad frugem redire nolunt. Sed quid agas? Nocent & zizania tritico: sed ea extirpare ante messem, est messem ipsam extirpare. Et quidem nocent & avari, ceteriq. mali,

mali populo: eumq; non solum exemplo, sed etiam
 verbis corumpunt: sed avaros, aut as-
 sentatores, aut invidios interficere nulla lex
 iubet, quamvis noti sint. At enim pater filios
 suos cogere potest ad scholam, Rectè pater: sed
 Christianorū pater non est magistratus, sed is
 qui eos docuit, ut Paulus Galatas: quos ideo
 cogere potest, sed eodem telo quo genuit, vide-
 licet verbo. An concionatores filij, sunt magi-
 stratus, cum ipsi eum doceant? Imò sunt ipsi
 patres magistratus, isq; debet eis obedire, sicut
 patrib. in reb. Christi: quemadmodum ipsi
 vicissim magistratui debent obedire, sicut
 defensori, in reb. mundanis. Verum in religio-
 ne, si quid iniquum magistratus iubet, præstat
 obedire Deo quàm hominib. In Christo enim
 neq; pater est, neq; filius, neq; frater, sed no-
 va creatura: quam qui gignit in altero, is
 eius pater est spiritualis, habetque in eum
 imperium spirituale. Clamabat Petilianus:
 Absit absit à conscientia nostra, ut ad nostrā
 fidem aliquem compellamus. Ergò ne hac de
 causa habetur pro heretico? O quàm multi
 rectè sentientes, ab hereticis damnati sunt
 hereseos? Id ipsi ostendimus in Vigilantiis,
 quoniam

quem damnatū à Hieronymo, quoniam abusu
 sum candelarū & cultum corporū mortuorū
 damnaret, nos defendimus & Hieronymū in
 eo damnamus. An putamus solū Vigilantium
 iniuste fuisse damnatū? Credite mihi, longè
 aliud erit Dei iudiciū q̄ hominū. Cetera que
 de cogenda fide afferunt, quoniā nihil ad rem
 faciunt, omitta. Volunt enim corporali violē-
 tia cogi, quos De⁹ vult spirituali adhortatio-
 ne, et ardenti impulsu ptrahi. Citant Augu-
 stinū, qui cum primū censuisset neminem ad
 unitatē Christi esse cogendū, verbo esse agen-
 dum, disputatione pugnandum, ratione vin-
 cendū, ne fictos catholicos haberēt, quos aper-
 tos hereticos noverāt, mutavit sententiam:
 victus non verbis, sed exemplis. Scilicet eius
 civitas Hippone, timore legum imperialium
 ad unitatem catholicam conversa erat. Ad
 quod primū responderi potest: Omnes sitien-
 tes venite ad aquas. Quod si Hippone non si-
 tivit, certè ad aquas nō venit, neq; bibit. Itaq;
 prius in generanda sitis fuit. Putabat fortas-
 sis Augustinus, verè Christianos esse quicunq;
 Christum ore profitebantur: nec intelligebat
 se in id malum incidisse, quod primū me-

*viderat. Quid enim est negotij, fictum catho-
 licum esse? Si Turcia rex imperaret, admit-
 teret universa Turcia Evangelium continuo:
 an propterea essent omnes Evangelici? Hic
 populus labijs me honorat, cor autem eorum
 longè est à me. Viderat Augustinus fictam
 professionem, quæ tamdiu duravit, quam-
 diu violentia & metus pœnæ. Sed non consi-
 derabat, quàm malus sit custos diuturnitatis
 metus. videmus ipsummet Augustinum,
 eiusq; ecclesiam, imò universam Aphricam,
 nondiu post eandem sevitiã subire coactã
 fuisse, quam in suis erga alios approbatione
 vel dissimulatione confirmaverat.*

*Cum enim Vandali, Arriana fide per
 Gottorũ episcopos imbuti, eam Aphricæ par-
 tem in qua agebat Augustinus, violenta ma-
 nu sibi subiecissent, coegerunt Catholicos
 episcopos, aut in eam religionis formam iu-
 rare quæ illis usitata erat, aut ecclesias re-
 linquere. Imò multa dira & infanda in ca-
 tholicos perpetrarunt, dum suo odio morem
 gerentes, religionis pretextu in illos sevirẽt.
 Eadem autem nocte qua Hippo à Vandalis
 obsidebatur, mortuus est Augustinus, ut ha-
 bet Victoris historia.*

Simile quiddam testatur Socrates in Tri-
 partita historia libro II. cap. 9. Nimirum eo-
 dem ferè tempore quo Innocentius Romæ cœ-
 pit Novatianos aliasq; improbatas sectas
 persequi, eorumq; ecclesias dissipare & diru-
 ere, Gothos Italiam invasisse, & Romam ex-
 pugnasse, omniaq; vastasse. Idem Socrates
 dicto loco testatur, ad eum diem Novatianos
 Romæ proprias habuisse ecclesias, proprios e-
 piscopos, diaconos, consilia, &c. neq; antea
 unquam ab ullis Romanis episcopis impugna-
 tos: imò ne tunc quidem laceffitos fuisse Con-
 stantinopoli. Constantinopoli enim, inquit, nō
 talia pertulerunt, sed cum eos diligerent, etiā
 intra urbem eos collectas facere permiserūt.
 Quàmvis autem Romani episcopi apud im-
 peratores summo studio in hoc incumberent,
 ut ij qui hæretici dicebantur, ex urbe Con-
 stantinopoli eijcerentur, profligarentur, eo-
 rumq; ecclesie dissiparentur: tamen nunquā
 illud obtinere potuerunt, usq; ad imperium
 Justiniani. Is autem Agapeto Romanorum
 pontifici post multa improba hortamēta con-
 cessit, ut eijcerentur urbe, & eorum ecclesie
 diruerentur.

nis cupiditas dominandi, & profligandi dis-
 sentientes, ut Vigilus, qui tertius erat ab Aga-
 peto, sed Iustiniano Imperatore (alioqui plu-
 rimū ab episcopis laudato) vinciri, et parum
 humaniter tractari sineret; eo quod in resti-
 tutionē quorundā profligatorū hæreticorum
 consentire nollet. Sed quē fructum acris illa
 insectatio & sævitia Ecclesia genuerit, rei e-
 ventus docuit primū in Arrianis, qui catholi-
 corū impulsu ab Imperatorib. talia perpeffi,
 deinde subsequente sua partis imperatorē na-
 eti, eadē iterum intulerunt catholicis. Ut hoc
 loco non cōmemorem, quod Mahometus, hunc
 morem à catholicis non ita pridem usurpari
 ceptum, statim in nostros exercuit: adeo ut il-
 lud malum à nostris primò inductū, in nostro-
 rum capita redundaverit, eosq. oppresserit.
 Quanta ecclesie antea florentissima, clade,
 confusione, deformatione, devastatione, quot
 millium hominum cade, res ipsa adhuc hodiē
 loquitur. Vidimus similia modò in Anglia,
 qua quod rex Eduardus, puer adhuc, fave-
 bat Evangelio, tota concesserat in partes no-
 stras. Quod si quis tum nobis dixisset, populi
 professionem esse fictam, odissemus huiusma-
 di

di hominem, tanquam invidum & maledi-
 cum. Sed eventus ostendit, quales fuerint e-
 vangelici, qui evangelium admiserant coacti.
 Sciunt hoc qui illinc magnis difficultatibus effu-
 giunt, & qui nihil ab evangelio alienius esse
 predicant. Nec mirum, si par pari refertur,
 ut qui vim fecerant, vim patiantur. Quid
 civitates commemorem? quae antea optime
 in Evangelio instituta putabantur: nunc illi
 ipsi, qui eas instituerant, vix unum aut alte-
 rum in una urbe esse putant, qui verè faveat
 Evangelio, cum nulla ferè sit inter alienos
 urbs, quae non plures habeat. Nam virtus
 Christi in infirmitate perficitur. Confitentur
 plerique concionatores, sese, cum mul-
 tos annos docuerint, neminem prorsus ex
 suo populo nosse, qui velit pro veritate vel
 paululum pecuniae impendere. Illi ipsi,
 qui antea alios ob religionem puniebant, nunc
 planè praese ferunt, se in vitos fecisse, vio-
 lentia cessasse, animi quidem primum pro-
 positum semper inviolatum retinuisse. Audi-
 vi etià, quendam in Anglia fuisse, qui Evan-
 gelium acriter predicaverit: idem nunc acrius
 oppugnet, seque dicat, illud invitum fe-

cisse, non ex animo: hoc verò facere ex animo. Ut intelligamus, non vanum fuisse illum Augustini metum, qui metuebat, ne fictos catholicos haberet. Præstaret unum verum habere, quàm mille fictos. Deniq̃, si ad fidem cogi possent homines, Christus ipse coegisset, & cogendos docuisset. Quoties volui congregare pullos tuos, inquit, & noluisti? In vitam Ierosolymam servare ipse Christus non potuit: nos Christum scilicet superabimus? At quoscunque inveneritis, cogite intrare. Rectè, sed telo spiritali, si modò sunt nuptie spirituales: hoc est, vehementibus vivis que & divinis verbis. Nam verbo & cæli visibiles creati sunt, & invisibiles creantur. Sed aliare quàm verbo Dei velle novam creaturam creare, nihil aliud est, quàm mundi creationem evertere. At Paulum Christus pœna corporis ad Evangelium intrare coegit: sic nos cogamur à Christo, ut dicamus, Domine, quid vis ut faciam? Sed hanc coactionem magistratui tribuere, est cælum ad terram deprimere. At etiam audent dicere, quod Apostoli nulla subsidia à magistratu, pro religione contra hostes postularunt: id ideo factum

Etum esse, quoniam magistratus Christiani
 non essent. Hoc quale sit, viderint ipsi. Chri-
 stus quidem regnum suum negat esse de hoc
 mundo. Nam si de hoc mundo fuisset, eius
 ministri pugnassent, ne Pilato traderetur. De-
 bet omnino magistratus contra vim & iniu-
 riam tueri bonos: sed bonos vi facere, aut re-
 ligionem ferro tractare, non item. alioquin
 sequitur, ut neq; Christus ipse fuerit satis ar-
 matus, neq; Apostolos satis armaverit. Et ta-
 men illi, adversantibus omnibus terrarum
 principibus, inopes & deserti, plus pepererunt,
 quam nos iisdem propitijs potentes & violen-
 ti servare potuimus: neq; mirum. Illi enim
 tabernaculum ex populi donis ultrò oblati
 extruebant: nos extorta & coacta dona (si
 tamen dona sunt, quæ ex animo non donan-
 tur) ad id conferimus. Itaq; mirandum non
 erit, si nobis accidet, quod quibusdam tyran-
 nis, qui milites in sua verba iurare cogunt.
 Deinde ubi ad conflictum ventum est, ab eis
 vel deseruntur, vel produntur, vel ex acie
 turpiter aufugiunt, aut etiam ab hoste capi-
 untur. Arma militiæ nostræ, inquit Paulus,
 non carnalia sunt, sed potentia Deo ad demo-

litionem munitiorum: quibus armis consilia demolimur, & omnē celsitudinem, quæ extollitur adversus cognitionem Dei: & captivā ducimus omnem cogitationem, ad obediendū Christo. Si gladius captivas ducit cogitationes hominū, & si eo usus est Paulus, ut amur sanè. Sin minus, simus contenti ijs armis, quæ Apostolis suis Christus tradidit: præsertim cum dictitemus sacras scripturas esse perfectas, neq; quicquā addendum aut detrahendum: ne ex eius militia cœlesti terrestrem faciamus, & Dei domum mala materia malisque instrumentis edificemus.

Hæc sunt quæ etiam post Lutheri & Brētij libros ab alijs, ad persequendū religionis causa adduci solent: ad quæ satis iam, in univèrsam responderunt illi. Sed quoniam animadverti, quosdam etiamnum moveri aliorum auctoritate, putavi argumentum etiam minutius esse tractandum, ut hominum saluti, quo ad eius fieri potest, consulatur, & sanguinis effusioni occurratur. Neq; verò illud ago, ut Principes & populos à pastorum & magistrum doctrina abstraham: sed cum sint pastorum duo genera, melioribus obtemperan-

*randum esse dico. Sunt enim alij violenti, fe-
 roces, duri, irritabiles, impatiētes, qui omnia
 damnant prater sua, & omnes à se dissentie-
 tes tolli volunt. Alij sunt mites, humani, cle-
 mentes, lenti, patientes, qui omnia ferunt, o-
 mnia sustinent, omnia sperant: hi volunt reli-
 gionē non cogi: hos ego ut meliores, sequendos
 esse censeo. Illi clamant, hos, dum religionem
 nolūt cogi, monstra alere, ut ita possint virus
 venenumq̄, suum spargere. Hi contrà, dicunt
 magis eos monstra alere, qui religionem servā
 faciunt, & alios propter eam persequuntur.
 Hac enim violentia efficitur, ut quicquid illi
 dicūt, id homines approbare metu cogantur.
 Hinc fit, ut nihil tam monstruosum sit, quod
 non populis obtrudatur, dum dubitare non
 licet: cum si dubites, aut non credas, morien-
 dum tibi sit. Hinc illa scribarum & phariseo-
 rum potentia, qui eos ex synagoga sua exclu-
 debant, qui de Christo loqui auderent. Hinc
 illa illius, qui nostro tempore detectus est, &
 quē meritò abominamur, tyrannis: quā pro-
 fectò nunquam assecutus fuisset, si religionē
 liberam reliquisset: nec unquam tot errores
 invexisset, nisi iudicandi potestatē hominib.*

ademisset. Deniq; vim facere etiam in cau-
 sis civilibus hominis est sibi male conscij, & de
 causa sua aequitate diffidentis. Dabitur vo-
 bis os & sapientia, inquit Christus, cui nemo
 poterit contradicere. Hac sapientia qui ar-
 mati sunt, alia tela non desiderant, aperte
 congregari non reformidant, seque universis
 mortalibus opponere, dummodo legitime iu-
 staq; disceptationi locus detur. Sciunt enim
 quam sit inexpugnabile telum veritas, &
 quid possit lux contra tenebras. Alij contra,
 lucem hanc reformidantes, latebras querunt,
 & gladijs mundano more rem gerunt, & in-
 stitutam verbis disputationem, ferro absol-
 vunt. Vident enim se, si ferro careant, iner-
 mes esse, nec adversarijs posse resistere. Ita
 dente lupus, cornu bos, pede mulus, deniq; suo
 quodq; animal telo pugnat: at ovis pugnare
 nescia, tota est in pastoris presidio. Atq; ut ta-
 dem ad finem veniamus, si ex his quae haec-
 nus dicta sunt, veros pastores a falsis digno-
 scere nondum potestis, sic agite. Pingatur
 malorum & bonorum exercitus hoc pacto.
 Pingatur in sinistra parte dux. natu gran-
 dior & potentior Cainus, signo rubro, cuius

insigne sit lupus. Sententia, Insidiamur sanguini. tessera, CRVCIFIGE. scutum, Incrudulitas: baltheus, mendacium: thorax, iniustitia: caligæ, alacritas ad effundendum sanguinem: gladius, violentia. Hunc sequatur universa eius progenies, ferro & flammis armata, Gigantes, Sodomaitani, Ismael, Esau, Aegyptij, Saulus, falsi propheta, Babilony, Scribæ, Pharisei, tyranni, deniq; universum genus potentium. Pingatur deinde in dextera parte dux natu minor et imbecillior Abel, signo candido, cuius insigne sit ovis, sententia: Omnes qui volent pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. tessera sit, Patientia: scutum, fides: baltheus, veritas: thorax, iustitia: caligæ, alacritas ad iuvandum proximum: gladius, verbum Dei. Supra duos hos exercitus sedeat in tribunali iudex, cui⁹ in sinistra parte scriptæ sint igneis literis hæ sententiæ: Cain ubi est frater tuus? Væ qui prædaris, nonné & ipse prædaberis? Qua mensura mensi fueritis, eadem vobis remetietur. Qui gladio percutit, gladio peribit. Qui in captivitatem ducit, ducetur in captivitatem. Væ civitati sanguinum. Væ

vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. *Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Vae vobis cum laudaverint vos omnes homines: secundum hac enim faciebant pseudoprophetae patres eorum. Vae vobis scribae & pharisaei, hypocrite. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quonia rogasti me: nonne oportebat & te misereri conservi tui? Ite maledicti in ignem aeternum.*

In dextera autem parte scripta sunt haec sententia: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Beati pauperes spiritu. Beati qui lugent. Beati mites. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Beati misericordes. Beati mundo corde. Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Venite benedicti patris mei. His depictis, convocentur pastores utriusque, scilicet mites & immites:

res: facile ex eorum armis & insignibus, & sententia, & moribus, cognoscetur utri utra in parte sint ponendi. Nam in utraq; idem poni non potest: siquidem nemo potest duobus dominis servire.

Huic imagini, si placet, adijcite bellum illud Christi, quod describit Esdras. Et ecce, inquit, omnes qui congregati sunt ad eum, ut expugnarent eum, timebant valdè, tamen audebant pugnare. Et ecce ut vidit (scilicet Dei filius) impetum multitudinis venientis, non levavit manũ suam, neq; phreamã tenebat, neq; aliquod instrumentum belli: nisi solummodo emisit de ore suo, sicut flatum ignis, & de labijs eius spiritus flamma, & de lingua eius emittebat scintillas, & tempestates: & commista sunt omnia simul, hic flatu ignis, & spiritus flamma, & multitudo tempestatis, & concidit super multitudinem in impetu, quæ preparata erat pugnare: & succendit omnes, ut subito nihil videretur de innumerabili multitudine, nisi solummodo pulvis & fumi odor.

Ex his satis apparet, quæ enã sint tela Christi, et quæ Antichristi: Itemq; quinãm sint per-
secu-

secutores, & qui sint qui persecutionem patientur. Quod si cui hæc non satis faciunt, nescio quidei satisfacere valeat.

Exurge Domine, & iudica causam tuam,

DE FILIIS CARNIS, ET FILIIS SPIRITVS.

Quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberæ.

Perpende hæc verba Pauli, lector. Ismael natus secundum carnem, persequebatur Isaacum natum secundum spiritum. Ita & nunc carnales persequuntur spirituales. nec aliter fieri potest. Vt enim Isaacus, quia iunior, & ideo infirmior erat, Ismaelem persequi non poterat: ita nunc Christiani, quia post Antichristianos nati, & imbecilliores sunt, non possunt Antichristianos persequi. Atq; hoc ipsum multis alijs exemplis significatum est. Nam neq; Abel Cainum, neq; Noa Gigantes,
neq;

*neq; Lotus Sodomitas, neq; David Saulum,
 neq; propheta falsos prophetas, neq; Christus
 aut Apostoli scribas & phariseos persecuti
 sunt: sed contra. Quod si qui facere potue-
 runt, tamen non fecerunt, ut David: quem
 cum Saulus, tanquam pulicem, aut tanquam
 perdicem, per montes persequeretur, David
 nactus eum semel atq; iterum presidio desti-
 tutum, potuit interficere, sed noluit. Sic hodie
 pii sunt tanquam pulex quidam, quem per-
 sequuntur impij. Quod si quando accidit, ut
 impijs nocere possint, tantum abest ut noceant,
 ut etiam prosint, & eorum saluti studeant:
 hoc enim a suo Davide didicerunt: sicut illi a
 Saulo patre suo, eis nocere didicerunt, a qui-
 bus beneficia acceperunt. Habes hic signa, no-
 ta scq; piorum & impiorum. Impij sunt nobiles,
 divites, literati, potentes, derisores, persecu-
 tores, crudeles, superbi, celebres, & ambitiosi:
 sicut Cainus, Gigantes, Sodomita, Saulus,
 Magi Aegyptij, falsi propheta, scriba, phari-
 sei, Herodes, Pilatus, Annas, Caiphias, philo-
 sophi. Pij sunt ignobiles, pauperes, imperiti,
 debiles, derisi, vexati, pacifici, mites, humi-
 les, summissi, obscuri, viles, contempti, infir-
 mes,*

mes, quisquiliae & ramenta mundi, honorisq; sui contemptores, & honoris Dei studiosi, qui bonum pro malo reddunt, convicijs appetitib; benedicunt: deniq; agnū Christum per omnes cruces & virtutes sequuntur. Nunc propone tibi, Christiane lector, talem popellum ob oculos, & cogita an fieri possit, ut huiusmodi popellus toto orbe dispersus; impios; hoc est gigantes, & mundi dominos inter sese conspirantes, persequatur. Quod si hoc fieri nō potest (ut certē non potest) noli dubitare, quin qui alios propter fidem persequuntur, sint Ismaelite, quoniam Ismaelis naturam imitantur.

Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & eius filium: non enim heres erit filius ancille cum filio liberae. Quid est ancilla? Est lex interprete ipso Paulo. Ancille filij sunt; qui sub lege, hoc est, sub litera esse volunt: & ideo eos qui sub spiritu vivere volunt, persequuntur, sicut Ismael Isaacum. Itaq; ut intelligatur, eos esse verē Ismaelitas, citant legis literam, quae iubet interfici falsos prophetas. Falsos autem prophetas interpretantur hereticos: Hereticos autem interpretantur, eos qui ab ipsis dissentiunt, in quo filij sunt eorum quib;

dicebant: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Vides ut filij legis persequantur filios spiritus, & ad eam rem legem citent. Sed quid facit Sara, hoc est, libera & spiritualis Ecclesia? Non eicit ipsa filiū ancilla, hoc est, litera servos: nec Isaacus item eicit Ismaelē, non enim potest: hoc est, pii non eiciunt impios, non enim possunt. Sed rogat Sara virum suum, hoc est, Ecclesia Deum, ut eiciat persecutricem illam legem, sive literam, & eius filios persecutores, ne sint heredes regni cœlestis. Itaq; Ecclesia non est, eicere impios ab hereditate cœlesti: sed id permittere marito Christo, qui eos eiciet virga oris sui, cū dicet: Ite maledicti in ignē æternum. Hanc sententiā pronunciare non est Sara, nec Isaaci, sed Christi. Proinde videant quid agant, qui hereticos dānant. Non enim sic damnari solēt heretici, ut latrones. Nam de latronibus, sæpè benè sperant etiam qui eos suspendunt, & pro eis Deum orant, nec eos in gehennam damnatos putant. Sed qui hereticos supplicio afficiunt, indicant eos à Deo prorsus esse reiectos, & æternis ignibus addictos: quod dum iudicāt, sedent

Sedent planè in tribunali Christi, & sententiam illam pronunciant, Ite maledicti in ignem aeternum: quæ neque ab alio quàm Christo, neque ante diem iudicij pronunciari potest. Nam ideo iudicij dies appellatur, quòd tum, non antè, iudicari poterit, qui sint electi aut reprobi. quemadmodum docuit Paulus, dum dixit: Nolite ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium. Quæ verba dum mecum perpendo, nihil habeo quod addam, nisi ut dum agitur de aliquo damnando tanquam heretico, hoc est, sempiternis pœnis addicto, & à Deo in sempiternum reiecto (tales enim putantur heretici) admonerem omnes, ut septies considerent quid agant: & hic eandem sententiam maioribus litteris (ut cursim legi possit) iterum adscribam.

**Nolite ante tempus quicquam iudicare,
donec veniat Dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum,
& patefaciet consilia
cordium.**

EPI-

EPISTOLÆ ALIQUOT
GERARDI NOVIO MAGI,
de re Evangelica, & heretico-
rum poenis.

MAXIMO IMPERATORI, CLĒ-
mentissimo Cesari, felicissimo Augusto,
Carolo V. Pio, felici, patri patriæ,
Gerardus Noviomagus:

S. D. P.



*Etsi omnibus, CAROLE Au-
guste, tibi, Dei ordinatione, Prin-
cipum electione, Populi cōsensu,
subiectis, magnopere cordi, cu-
ræq; esse debeat, sacra Imperatorie Maiesta-
tis tuæ salus, Decus, Victoria, ac Triumphus,
Mihitamen præ ceteris id oneris incumbit, ut
quæ ad excellentissimam S. I. Ma. dignita-
tem celebrandam pertinent, pro viribus pro-
moveam: quæ contra, sedulus amoveam.
Ante decennium enim in M. tuæ fami-
liam ascitus, honoratiorq; S. M. tuæ officio
ascriptus, nisi M. tuæ honorem & gloriam
D. meis*

meis omnibus preposuero, non video, quomodo
 turpissimam ingratitude notam effu-
 gero. Hinc est Clementis. Cesar, quod non ve-
 rear, imò cogar, M. tuam de quibusdam, que
 M. tue honorem, reipub. commodum, anima-
 rum salutem concernunt, admonere, idq̄ ve-
 rè & amanter, Quare etiā non dubito, quin,
 S. Imp. M. tua, hac diligenter leget, boni con-
 sulet, ac meam curam diligentiamq̄ in re
 tam necessaria comprobabit. Male audit (ut
 quod verum est, liberè verèq̄ dicam) S. M.
 tua, non vulgò solùm, verùm etiam apud
 meliorem populi tui, in utraq̄ Germania,
 partem quod S. M. tue veluti iussu authori-
 tateq̄, ita in eos, quos hereticos vocant, dese-
 viatur, ut Ethnicorum tyrannidis, & vete-
 rum Christi martyrum constantie pariter &
 patientie exempla, audire videreq̄ non uno
 loco rursus liceat. Quidam enim in vinculis
 detinentur, uxoribus interea ac parvis libe-
 ris fame pereuntibus. Aliqui rebus, sudore
 & sanguine partis, spoliantur. Nonnulli in
 externas regiones, egeni ingratiq̄, hospites,
 proscribuntur propellunturq̄. Hic tetro
 perpetuoq̄ carcere condemnatis, squalore
 & ine-

& inedia contabescit: ille aquis praefocatur &
 iste flammis exuritur. Non aetati, non sexui
 parcitur. Nihil amicitiae, nihil beneficijs, nihil
 officijs tribuitur. Ut gravissimi pestilentissi-
 miq; criminis reus (hac est querela publica)
 peragitur, quisquis alioquin innocētissimus,
 desertis hominum doctrinis; eorumq; praefer-
 tim, qui S. M. tuae imperio, salutis, vita deni-
 que noctes atq; dies insidiantur, ad Christi
 Evangelium, sacrasq; literas advolarit. He-
 reseos crimen facile cuiquam intentari pote-
 rit, at hereseos quenquam convincere, diffi-
 cile admodum fuerit. Quos Pontifex Roma-
 nus, & ipsius coniurati, heresis nota inurere
 nituntur: Hi vicissim Pontificem Romanum
 atque praetoriam ipsius cohortem, non hereti-
 cos solum, sed proditores, veneficos, homici-
 das, blasphemos esse, fama publica, certis bo-
 norum virorū testimonijs, sacris item literis,
 convincunt. Interea tamē maior pars vincit
 meliorem, & hoc, Clementissime Caesar, te vi-
 vo, te victore, te triumphatore. Praeterea Cle-
 mentissime Caesar, sunt inter prudētes sapien-
 tesq; viros, aliquot non infimi nominis, non
 extremae auctoritatis, qui hereticū hominē,

etiam convictum, pertinaciterq; sua sententia inherentem, nulla neq; sacra, neq; profana lege extremo supplicio affici posse doceat: Quibus si lex Mosaiica de blasphemio, de falso propheta & seductore: lex Evangelica de peccantibus in fratres & hereticis: Leges Cæsarea de hereticis obijciantur, ad singulas in hunc ferè modum respondent. Ad Mosi legem sic dicunt: Omnem blasphemum hereticum dici posse, sed non omnem hereticum blasphemum. Blasphemum enim spreto contemptoq; DEO, in quodvis crimen proruerè præcipitem: hos verò, qui hac nostra etate hereticorum nomine ab inimicis traducuntur soli DEO adherere, solius DEI. verbis, testimonijs & legibus inniti, quicquid ab ijs. vel pilum latum abducat, longè fugere atq; detestari. Quare nullo modo legem Mosi de blasphemis, in hos torqueri posse, constanter affirmant. Quod verò de falso seductoreq; propheta dicitur, longè minus in hos quadrare, hac ratiocinatione colligunt: Iubet Moses, inquit, prophetam, fratrem, amicum, uxorem, qui deserto vero & uno DEO, alienos Deos colendos suaserunt, exterminari & deleri.

leri. At hi nostri Heretici, non solum alienos Deos non colendos, non audiendos, non sequendos docēt, verum etiam abiectis larvis, detractis personis, contemptis phaleris, externis omnibus in suum locum redactis, solum DEVM colendum, illum solum & unicum prophetam audiendum predicant, quem qui non audierit, non quemvis hominum aut angelorum, sed ipsum cœlestem patrem, iustissimum illum iudicem, tandem suo malo ultorem experietur. Hunc prophetam unicum videlicet DEI filium Iesum, qui est via, veritas, vita, lux, ostium sequendū adserunt. In huius solius nomine patrem invocandum, qui datus est nobis à patre unicus mediator, sacerdos & sacrificium, redemptor, propiciatio, intercessor, advocatus, pastor, doctor, & magister, cum quo & in quo Pater nobis & se & omnia sua liberalissimè donavit. Proinde quicquid hic cœlestis magister docet, discendum: quicquid iubet, faciendum: quicquid prohibet, vitandum. Hominum doctrinas, nisi quantum ab huius Prophete doctrina fulciantur, caducas esse, perverfas, impias. Tanto etiam

longius ab omni impostura, errore, heresi
 quenquam abscedere quanto propius ad hu-
 ius cœlestem doctrinam accesserit. Hoc modo
 Clementissime Cæsar, & pluribus alijs, eos,
 quos Pontifex Romanus hereticos vocat, à
 Mosaica legis pœnis defendunt, addentes eti-
 am, Iudeos legis Mosaica (ut videri volunt)
 studiosissimos atq; observatissimos, Phariseos
 & Saduceos verè hereticos, non solum tole-
 rasse, sed etiam rebus suis crebrò præfectos, ho-
 norasse. Hinc ad Evangelicā legem læti con-
 volant, & Christum docuisse, quomodo pec-
 cantes in fratres corripiendi sint ostendunt.
 Ita, ut si quis obturata aure, fratris, congre-
 gationisq; monita cōtempserit, sit illis veluti
 Ethnicus & Publicanus, Paulum quoq; here-
 ticum vitandum tantum, admonuisse. Hæc
 est clara simplex & pura, inquiunt, Christi
 doctrina, adversus quam, si Pontifex Roma-
 nus, imò si Petrus & Paulus, imò si Angelus,
 non impostor ille, sed è cœto aliud docuerit, a-
 nathema sit. Mādat insuper cœlestis pater, ut
 vocem filij sui dilecti audiamus. Ipse bonus
 pastor Christus Iesus oves suas vocem suam
 audire dicit, ad se veniendum, se sequen-
 dum.

dam, bonus Dux, lux & semita hortatur: & tam reprobis erimus, ut alienos à Mose legislatore mitissimo, alienos à Christo vero servatore, audire velimus? Quod verò nonnulli in potentium quorundam hominum gratiam & favorem, magis quàm in veritatis laudem dicunt: Prepositi sunt: Presbyteri sunt: Episcopi sunt, obediendum ergò eis, honorandi ergò sunt, audiendi ergò sunt. Verùm inquirunt, dicis, quisquis hæc dicis: modò Mose cathedram non deserant, & in sua sedeant: modò ea, quæcunque Christus observanda præcepit, docuerint, & suas doctrinas his non æqua verint: modò imitatores Pauli, ut ille Christi, non hominis alicuius quantumvis sancti, fuerint: modò benè presint, ut gregem Christi verbo Christi pascant, & non dominantur, neq; tyrannidem in conservos exerceant. Vides Clem. Cæsar, quomodo lex Evangelica (ut adserunt) hereticos etiam obstinatos (ut dicitur) inter Ethnicos & Publicanos tantùm rejiciat. Modo constat (ut aiunt) quomodo cum Publicanis & Samaritanis ipse Dominus IESVS, vitæ nostræ, morumq; magister, versatus sit:

Quomodo neminem eorum neque iudicaverit, neque condemnaverit: Et Christianus Imperator, communis Domini servos, imò confratres, & cœlestis patriæ coheredes, tot, tam varijs, sevisq; supplicijs affici patietur, ne dicamus iubebit: Legimus etiam (inquiunt) Christianissimos Imperatores Valentinianũ & Theodosium, Ethnicos quosdam, rebus, provincijs, exercitibus suis præfuisse, imò multis Christianis, in civilibus militaribusq; rebus prætulisse: & heretici qui doceri re-
 Etiora cupiunt, sub tam pio Casare, rebus & vita privabuntur? Hi enim Clementissime Caesar, si audire legereve Maiestati tuæ per Augustales occupationes liceret, spei fideiq; suæ rationem libentissimè redderent; & innocentem conversationem suam in repub. Christi & tuæ declarare parati essent. Quod quo minus fiat, partim, ut dixi, occupationibus Maiestatis tuæ adscribunt: partim purpuratis illis & albatis, quos innocentem sanguinem sitire, nihilq; aliud Maiestati tuæ suggerere, quàm ut impunè tyrannidem suam exercent, multis indicijs cõfirmant. Hactenus de lege Evangelica, quantum ad hereti-

cos pertinent, sapientium virorum sententias, paucis S. Maiestati tue indicavimus potius, quam explicuimus. Reliquum est, ut de Cesareis quoque legibus contra hereticos, quid sentiant, paucis perstringamus. Fatentur ydem, extare quasdam Imperatorias leges, quibus extremo supplicio certi heretici subijciantur. Verum eas non tam iusta Imperatorum voluntate, quam improba quorundam Episcoporum violentia Clementissimis Cesaribus extortas. Quod hinc potissimum eliciunt. Quod Constantini Magni, Theodosij & aliorum Augustorum leges contra hereticos, nunquam executioni, ut ita loquar, quod sciatur, mandata sint, & Theodosiana legi in historijs addatur: Eam magis ad terrendum, quam exequendum à piissimo Augusto esse latam. Adjiciunt præterea: Augustos Constantini filios, hunc pro Arrianis, illum contra Arrianos, hereticos edita legesque promulgasse.

Episcopos quoque non uni Augustorum molestos, gravesque fuisse: adeo ut etiam per regios cubicularios (qui privatim apud Principes magna autoritate erant) perque

O S alios,

alios, quos gratos in aula noverant, huiusce-
 modi leges pro sua quisq; factione, bonis fru-
 stra ingemiscens obtinuerint. Addunt
 etiam piissimorum fidelissimorumq; Augusto-
 rum leges extare, quibus liberum permitti-
 tur, quam quis velit religionem amplecti. Ad
 Christianam enim fidem pietatemq; vi, ar-
 misq; aliquem cogere, non Evangelicum, non
 regium, sed planè tyrannicum esse iudica-
 bant. His accedere dicunt: Verissimum a-
 pertissimumq; esse, posteriorum Augustorum
 leges contra hereticos, intolerabili Romani
 Pontificis, meliorem imperij partem occupan-
 tis, tyrannide conceptas, expressas atque edi-
 tas. Quibus si quo vis modo Imperatores, qui
 præter hereditarias ditiones, vix titulum Ro-
 mani gerebant imperij, contradixissent, iam
 Italia excluderentur, corona negabatur, ex-
 communicabantur, subiecta nobilitas, plebs-
 que à præstito iuramēto absoluta, in principē
 suum concitabatur, ita ut etiam filios in pa-
 tres, patres vicissim in filios contra nature
 iura, impia bella gerere commoverint. Hæc
 cum ita sint, iniquum putant, huiusmodi
 leges inter Cæsareas numerare, ne dicāt, exe-
 cutioni mandare.

Postre-

Postremò concludunt: omnium legum a-
 missim & adamantinam quandã regulam
 esse, equum & bonum, ad quem ubi exami-
 nata directæq; fuerint, quam male & iniquæ
 sint, facile deprehendi posse, maxime verò a-
 pud Christianum Imperatorem, qui magis
 volet, omnes omnium Cesarum leges aboleri,
 quàm Christi DEI sui doctrinam, vel in
 minimo prudens transgredi. Ad Christi enim
 doctrinam, omnium Christianorum vita,
 mores, leges (ipsius gratia) dirigenda sunt,
 & per hanc solam non solùm vanorum homi-
 num statuta & commenta, sed & Mosi & o-
 mnium Prophetarum & Apostolorum dicta,
 facta, scripta q; dijudicanda. Habes Clem. Cæ-
 sar, quod pro hereticis etiam convictis, ut di-
 cunt & pertinacibus, à bonis viris dicatur.
 Ex quibus S. Imperialis Maiestas tua conye-
 re poterit, quantum doleant & ingemiscant,
 qui Maiestati tuæ benè volunt, atq; precan-
 tur, quum improbos quosdam, Cæsarea tuæ
 clementia tam crudeliter abuti, tuæq; maie-
 statis gloriã, quantum in ipsis est, humani in-
 nocētisq; sanguinis aspergine fœdare audiūt.

Qua

Quæ tãto libentius simplici veraq; relatione
 S. Imperatorie Maiestati tuæ scripsi, quod
 non dubitem, quin ijs lectis, diligenterq; at-
 tentis, letiora per utramq; Germaniam suã
 edicta divulgari iubebit. Christus Iesus Rex
 regum, & Dominus dominantium, tepium,
 felicem, subiectis parcentem, & perpetuum
 rebellium ac superborum victorem trium-
 phatoremq; conservet. Datum Anno 1527.

E. S. M. Tuę

Humilimus servulus

Gerardus Noviomagus.

G. ARGYROPHYLAX, ILLU-
 strissimis Clementissimisq; Ger-
 manorum Principibus.

S. P. D.



AEpè mecum mirari soleo, Illustris-
 potentissimiq; Germanorum Prin-
 cipes, quod nonnulli vestrum, tam
 atrociter in eos, quos hæreticos vocant, sevi-
 ant.

ant. Ut propter questiones opinionēsque quasdam de Religione, in homines alioqui innocentes, & Reipub. commodos, exilijs, bonorum direptionibus, gladio, aqua & igni, animadvertere non reformident. Si aut in vos, aut in Rempub. vestram peccarent, iustiore certè titulo punirentur. Modo cum eiusmodi adferant, & doceant, quæ in maximum ditionum vestrarum, rerum publicarumque commodum vergant, quò nomine & à vobis præmium accipere debeant, mirum imò stupendum, miserandumque, quod talia citra rationem & modum de eis supplicia sumantur. Qui enim dicunt, ociosos & validos mendicantes, ad labores cogendos, sacerdotum & monachorum, ita sese nominant, turbam minuendam, quæstum, luxum, superbiam eorum moderandam, vectigalia, tributaque ab omnibus, non tam à pauperculis agricolis, quàm ab opulentis sacerdotibus, monachis, Canonicis & huius farine hominibus, solvenda. Nonne? ditionibus vestris, rebusque public. consultum volunt? Quid queso (liceat liberè veritatem dicere) vestram autoritatem, iurisdictionemve immittit?

nuit? si quis ex sacris literis doceat, sola fide
 per charitatem operante, hominem iustificari,
 solum Christum esse advocatum, media-
 torem, propitiatorem & propitiationem no-
 stram. Purgatorium nescio quale, ad questum
 ab avaris illis ventribus, per somnium reper-
 tum. Christianorum Episcopos & Diaconos,
 non dominos, sed ministros agere debere. Me-
 lius est monachos & monachas, reliquumque
 lascivientium sacerdotum vulgus nubere
 quam uri, ne quid turpius addam. Nimirum
 templorum imaginumque esse copiam, Princi-
 pibus etiam malis obediendum. Vectigalia, tri-
 butaque, ut bis dicam, ab omnibus solvenda.
 Malo non resistendum, sed in bono vincen-
 dum. An non vobis ipsis iudicibus, qui huius-
 modi docent, maxime vobis consulere viden-
 tur? si enim haec vulgo semel persuasa fue-
 rint, ubique minus erit superstitionis, & plus
 exactae, veraeque religionis. Sicque tandem fiet,
 ut lapidum, lignorum, aris, ferri, argenti, au-
 ri, pretiosarum vestium, aliarumque rerum ad
 vite usus necessariorum, quarum nunc inut-
 tus & inutilis in Divorum & patronorum,
 ut ipsi vocant, templis & aris usus est, pre-

cia minuuntur, utq; agri iamiam deserti ab
 illis qui hactenus aliorum labores comedunt,
 colantur, & omne artificium vilioris exer-
 ceatur. Videte quæso Illustriss. Principes, qui
 vobis maximè onerosi sint? Nonnerasi no-
 stri & uncti, birretati, cuculati, mitrati, ho-
 minum magis portenta quàm homines? Hi
 sunt, qui vos superiores, ut dicitur, non ad-
 mittunt, neq; ferunt, qui si quando arma pro
 repub. necessario sumenda sunt, sese immunes
 ab omni publico munere, magno strepitu ad-
 severant, quasi ipsi fruges, ut ille dicit, tantum
 consumerent, sponsi Penelopes &c. alijs se
 longè melioribus, laborantibus ociari, alijs
 vigilantibus stertere, alijs domi forisq; cum
 Principibus suis inter pericula versantibus
 aleam ludere, inebriari, scortari, adulariq;
 debeant. Divinus enim cultus, cui se addi-
 ctos oblonga tantum veste, raso unctoq; ver-
 tice iactitant, quis qualisve sit, iam mul-
 tis annis, magno totius reipublicæ vestre in-
 comodo experti estis. Nihil enim ut pau-
 cissimis dicam, apud illos hactenus non ve-
 nale fuit, gratis verò, vel in extrema
 necessitate constitutis, nihil administratum.

Vide-

Videtis etiam qualia palatia haec avara mē-
 dicabula aedificarint, quot agros agris copu-
 larint, quātis vos a vitis censibus, sub religio-
 nis specie privarint, & nihilominus in taliū
 hominum gratiam, innocentes condemnabi-
 tis, & erga optimē de vobis merentes, non
 dico tam ingrati, sed tā sevi & atroces eri-
 tis? Quod si iniuriam contumeliamq; Di-
 vis suis fieri clamitent, sinite Divos (si un-
 quam uitionem abiuratissimis etiam hosti-
 bus petierunt) sese ulcisci. Sed sunt verbo-
 rum quaedam umbræ, quibus vobis, Optimi
 Clementissimiq; Principes, tot annis imponi-
 tur. Lactitant se de Romano suo Pontifice,
 quasi is non semper Cæsareæ Maiestati ad-
 versetur, & vestris omniumq; cervicibus, se-
 se grave & intollerabile pondus superponere
 conetur. Quis plures & meliores Cæsareæ
 Maiestatis ditiones occupat? quis toties nūc
 in hunc, nunc in illum Principem fraudes
 molitur? Quis plures in omnibus vestris Co-
 mitijs & consilijs proditores alit? Expergi-
 scimini tandem Principes verè Germani, &
 Rebus pub. quibus DEI ordinatione præestis,
 rectius innocentiusq; consulite. Egetis for-
 tasse

*tasse pecunia in Reip. usus necessaria? En
 maximum vobis thesaurum ostendo. Sinite
 monachos & monachas, si qui velint, liberè
 abire, & victum laborando querere, eos ve-
 rò, quib. in suis fornicibus delitescere lubet,
 frugaliter alite, & ne quis huiuscemodi igna-
 vum vitæ genus posthac sectetur, cavetote,
 tum quicquid opum illis superest, in necessa-
 rios pauperum usus, reipub. ususq; vestros
 vertite. Experiemini, proculdubio, intra
 paucos menses, quot centena aureorum mil-
 lia, unius exigua ditionis vestre monachi, &
 id genus homines possideant. Neq; hoc meum
 consilium quispiam aut seditiosum aut im-
 pium iudicet. Tam enim pius esse, si opus
 foret, ostendere possem, ut planè Impij cen-
 sendi sint Principes, qui hoc non exequantur,
 malintque ab agricolis, vinitoribus, opifici-
 bus, civibus, alijsq; sibi subiectis, tributa ex-
 torquere, quàm reipub. suaq; ipsorum bona,
 à tam male fidei possessoribus non auferre.
 Hæc pro meo erga vos studio Illustriss. Cle-
 mentissimiq; Principes, paucis indicaverim,
 vestrum erit expendere quid factò vobis o-
 pus sit, magnopereq; cavere, ne quis iniuste*

opprimatur, & imprimis ne innocens sanguis
 quovis modo effundatur. Caterum & eos
 Principes, qui Episcoporum titulis pregra-
 vantur, admonitos velim, quàm malè apud
 subiectos audiant, quod duo tam non cohe-
 rentia, id est, Christianos Episcopos & arma-
 tos Principes, coniungere conentur. Aut igi-
 tur Episcopos agant, aut Principes, cum u-
 trumq; non possint. Hocq; certò sciant sub-
 iectam eis plebem, malè eos hereditarios mo-
 do per Rom. Pont. modo per quorundam ca-
 nonicorum, ita vocantur, coniurationè, illos
 sortiri principes, quorū nomina vix unquam
 audierūt. Quomodo enim talis princeps aut
 subiectos amare poterit, quos non novit? aut
 subiecti tales principes? verum longè alia est
 hereditariorum principum conditio, id quod
 vos ipsi (si verū fateri volueritis) scitis, quare
 verbum non amplius addo. Nō dubito Reve-
 rendiss. atq; Illustrissimi Episcopi ac Principes,
 quin hanc meam admonitiunculam, boni,
 pro vestro candore & integritate, consuletis.
 Opto vos Illustrissimi clementiss. optimique
 Germanorum Principes, feliciter regnare &
 vivere.

GER.

GERARDUS NOVIOMAGUS

Illustrissimo Fortissimoq; Principi

CAROLO Duci Gelriae, Juliae,

Comiti Zutphaniae, &c.

S. P. D.



*Vi tibi Illustrissime Dux, quavis
de re obstrepere non verentur, ma-
gnanimitatis sublimitatisq; tuae ra-
tionem non habent. Qui verò Celsitudinem
tuam de rebus necessarijs admonere for-
midant, humanitatem ac clementiam tu-
am ignorant. Hinc est Illustrissime Prin-
ceps, quod ego in antiquissima, adeoq; no-
bilissima civitate tua Noviomago, natus
& educatus, eoque patre, qui clarissimis
Principibus, patri tuo Adolpho, amitaque
Catharina multis annis fidelissimè inservi-
vit, audeam C. T. commonefacere de ijs,
que maximè hoc Christianarum rerum
turbine, ad tuam subiectique divina ordi-
natione tibi populi veram salutem spectant.
Principio itaque Illustrissime Princeps, con-
dones quaeso mihi, quod longius fortè repe-
tito rerum ordine, incipiam. Cum enim*

recogito res tuas gestas, ab illo die, quo ex
 Gallica captivitate, dato obside, Noviomagum
 omnium civium adplausu & gaudio
 ingressus es, admiranda & diversa DEI
 Opt. Max. iudicia erga te, plebemq; tuam vi-
 dere licet. Iram videlicet ipsius, ut huma-
 no more loquar, erga tibi subiectos, bonita-
 tem verò & misericordiam erga tuam celsi-
 tudinem. Si quis enim secum reputet, quo-
 ties tui fusi, fugati, caesiq; sint, quoties agri de-
 vastati, abacta pecora, suppellex, & quic-
 quid opum erat direpta, pagi exusti, arces
 deiectæ, oppida per deditioem capta, viri
 captivi abducti, matrona stuprata, virgi-
 nes vi corruptæ, ceteraq; passæ, quæ hostilis
 furor & libido inferre solent, Nonne DEVM
 iratum illis fuisse statim iudicabit? Rursus
 si quis consideret te iam trigesimum quartum
 annum in Ducatu tuo agentem, prospera ferè
 semper corporis valetudine, ab hostibus, tan-
 tis scilicet Principibus, ducibus, regibus, Im-
 peratoribus, prælijs laceffitum, bellis pressum,
 nunquam captum, nunquam turpi fuga e-
 lapsum, nunquam, quod sciam, vulneratū,
 rebus etiam tuis aliquando ferè desperatis,
 oppidis

oppidis aliquot à te ad hostes, ob potentia me-
 ritum deficientibus, hostium consilia, præter
 spem, subito immutata, ditionem tuam mi-
 ris consilijs & stratagematis recuperatam,
 tot etiam incruentas ferè victorias, tandem
 etiam uxorem tibi, ut nobilissimam, èq; tot
 Augustorum stemmate natam, ita & opti-
 mam, Christianissimamq; obtigisse.

Nonne, quisquis hæc attentius revolverit,
 divinam erga te bonitatem iure admirabi-
 tur, laudabitq;? Hæc cum ita se habeant,
 Clementiss. Princeps, vide ne unquam DEO
 ingratus inveniaris, idq; quod soli DEO ac-
 ceptum referre debes, cuius aut humane
 prudentiæ, fortitudinive, aut Divo, quis-
 quis etiam ille sit, adscripseris: DEVS enim
 noster fortis zelotes est: Gloriam suam alte-
 ri non dabit, neque patitur ut quisquam in
 hominum cordibus cum ipso habitet, presit &
 regnet. At hæc legens, dubitas fortasse hesi-
 tasq;, quanam in re DEO maximè te gratū
 ostendere possis, cum unum hoc, alter illud, ter-
 tius aliud tibi faciendum suadeat. Ne au-
 dias queso, Illustrissime Princeps, humana
 consilia, quæ è sacris literis non profiscun-

tur, sed audi antè omnia Spiritum Sanctum,
per os Regij Prophetae Davidæ dicentem: Nun-
ciabo nomen tuum fratribus meis, In me-
dio Ecclesie laudabo te. Et rursus: Doce-
bo iniquos vias tuas, & impij ad te con-
vertentur. Si vis DEO gratus inveniri,
diligenter cura, ut nomen DEI patris,
& Domini nostri IESU CHRISTI so-
lius, præter quod, non est aliud nomen sub
cælo datum hominibus, in quo oporteat nos
salvos fieri, in ditione tua annuncietur, ut q̄
via Domini doceantur, Quod tum rectissi-
mè fiet, si singulis pagis, aut electione, aut
constitutione, seniores & ministri præfician-
tur, qui sacras literas, Christique Evange-
lium, sincerissimè, simplicissimèq; prædicent,
qui non fastui, non questui, ut hætenus, sed
auditorum saluti consulere, DEI gratia, &
velint & possint. Duo Illustrissime Dux, ma-
ximè sunt nobis ad salutem necessaria: Dile-
ctio DEI, & charitas erga proximum: quæ
ex sola fide proficiscuntur, in quibus etiam to-
ta lex pendet & Propheta. Quomodo DE-
VS diligendus, nemo hoc mortali corpore
circundatus, ritè explicaverit. Quomodo
verè

verò *charitas erga proximum exercenda sit,*
multifariam in sacris præcipuè Evangelicis
litteris explicatum est, quas cum ignorantes
docendas, ut diximus, curaveris, Quis du-
bitat, Clementiss. Princeps, quin optimum,
gratissimumque DEO opus perfeceris? A-
beant fallacia hominum superborum, a-
varorumque commenta. Tu Illustriss. Prin-
ceps, solis sacris litteris adherens, quæ omnem
hominem instruere possunt, ut divinus il-
le Paulus inquit, ad salutem, per fidem,
quæ est in Christo Iesu. Doceatur Evan-
gelium non litera tantum, sed multò ma-
gis amabile, spiritu, per hoc enim, Paulo
teste, salvamur. Sacra literæ (ut hoc eti-
am, fortè tamen intempestivius, dicam)
non solis nostri temporis Scribis & Phari-
sæis, sed omnibus hominibus scriptæ sunt, ab
omnib. interea legi audiri que debent, Domi-
nus DEVS, mirabili, & occulta sua inspira-
tione docebit etiam simplicissimos, quos tan-
to fastu Rabbi nostri despiciunt & conte-
mnunt. Neque enim abbreviata est manus
Domini. Potuit ex Petro & Ioannè, homi-
nibus sine litteris, & idiotis, legis doctissi-

mos subito facere. Oremus & nos puro corde,
 & fide non ficta, non in multiloquio, sed
 ut Christus docuit: procul dubio, divina bonitas
 & clementia illico nobis aderit. Qui enim per
 Prophetam Hieremiam dixit: Dabo leges meas
 in mentem eorum, & in corde eorum
 superscribam eas, Et ero eis in DEVM,
 & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit
 unusquisque proximum suum, & unusquisque
 fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum,
 quia omnes scient me à minore usque ad
 maiorem eorum, Potens est prestare, imò
 prestat, quod pollicitus est, modo verbis eius,
 per fidem in Iesum Christum credamus. Interpretentur
 hæc Magistri nostri ut velint, nunquam DEVM
 mendacem facere poterunt. Verbum enim Domini
 manet in æternum. Quod, ut ad id quod capimus
 revertamur, si sine fuco, sine humana philosophiæ
 studio, citra sublimitatem blandiloquentiamque
 sermonis, præter spem inanis gloriæ, commodique,
 quam simpliciss. predicatum fuerit, omnes
 questiones, conclusiones, pugne verborum,
 contentiones statim cessabunt, Hæresesque
 omnes, in ignorantia huius Verbi tene-

in tenebris latitantes, in lucem deducentur & evanescent. Falluntur admodum Doctores, & Principes nostri, qui hereses grandibus voluminibus, gladio & igni extirpare conantur, quas solus DEVS gladio verbi sui, & igni, quem misit in terram, in nihilum redigere potest. Cur homines, habentes quidē DEI zelum, ut sibi ipsis falso persuadent, sed non secundum scientiam quod solius DEI est, sibi usurpare conantur? Dicant, si possunt, quotusquisq; hereticorum, viventibus etiā electis illis Apostolis, per humanas disputationes, abnegato ex animo errore, ad veritatis cognitionem redierit? Quod si non possunt, quare stultè gloriantur: quasi aut disputando, aut tyrannidem exercendo, id possint, quod virente, florenteq; Christiana religione, vix ullus potuisse legitur? Det Dominus, ne hi, qui alios tam facile & arroganter hereticos iudicant, tandem, ut omnium hereticissimi, ab illo qui nec falli, nec fallere potest, iudicentur. Non sum ignarus Illustrissime Dux, quid hi, quorum avaritia, superbia, tyrannis, per DEI verbum, quotidie traducitur & labefactatur, inter sese garruant.

riant. Audimus, inquiunt, iam per totum
ferè orbem dici: Verbum Domini; Evan-
gelium: Fides, fides: sed nusquam vide-
mus bona opera. Hic eos liceat interrogare,
quænam ipsi bona opera interpretentur? V-
trum iuxta DEI præcepta, quæ sola ipsius
gratia, & non nostris viribus adimplentur,
vivere, id est, ut Christus paucissimis com-
plectitur, diligere D E V M, & proxi-
mum, quod qui non facit, nec fidem habet,
nec Evangelium habet, nec verbum Domi-
ni habet? An sumptuosa templa, statuas,
imagines extruere? auro, argento, vesteque
preciosa excolere? tot ociosorum & vali-
dorum hominum greges & armenta alere?
tot cereos & lampades, sole lucente, frustra
accendere? ad statuas procumbere? circa
templa oberrare? tot rosaria? tot donaria?
tot numeratas preculas obmurmurare? tot
missis, tot horis canonicis? tot vigilijs? ocio-
sum interesse? Hoc vel hoc modo vestiri? hoc
vel illo cibo pasci? tantum dormire? tantum
stertere? tantum vigilare? & quid harum
rerum non? facere? si hæc bona opera di-
cunt, fœlices nos, DEI gratia, iudicamus,

quod

quod huiusmodi opera in nobis non inveniunt. Si verò illa quæ supra diximus, dolemus & ingemiscimus, quod tales non sumus, quales nos esse Christus iussit, Oramus nihilominus assidue, misericordissimum DEVM & patrem vestrum benignissimum ut inter oves quæ à dextris collocandæ sunt à Christo in extremo illo iudicij die, inveniamur. Verum id certò sciant adversarij nostri, pusillum esse, foreq; semper gregem Christi, relicti hic Illustriss. Princeps, veritatis adversarijs. Iam quod de sacris literis dicere capimus, persequamur: Hæ sunt, quæ abundè nos docent quomodo, quamdiu in hoc seculo versamur, in omni etiam, ut dicitur, statu vivere debeamus, hæ sunt predicandæ, ut semel ut iterum diximus, hæ audiendæ, hæ decantandæ & spiritu & mente, ad harũ præscriptũ, totius vitæ nostræ tenor exigendus, Neq; magni quorundam tituli, magnus principatus, magna tyrannis nobis imponere debet, ut relicto Christo, qui est via, veritas & vita, in eorum sententias eamus, latamq; viam, quæ ducit ad mortem ingrediamur. Hi sunt enim qui clamitant sese

à DEO constitutos, Doctores, Rectores, Sa-
 cerdotes, Episcopos, Pontifices, imò Christi in
 terris vicarios, suisq; sententijs, decretis, cõ-
 silijs, tam diversis, adversis & contrarijs o-
 bediendum. Contra quos, cum à doctissimis
 hisq; Christianissimis viris, intra hos pau-
 cos annos, è sacris literis, satis superq; pu-
 gnatum, imò debellatum triumphatumq; sit,
 frustra ego in epistolari hac angustia verba
 fecerim. Caveat saltem sibi C. T. Illustriss.
 Dux, à pseudoapostolis, prophetis, episcopis,
 Diaconis, à falsis etiam Doctores & fra-
 tribus, quorum tyrannidem iam supra mil-
 le annos, non citra grave animarum nostra-
 rum periculum patimur. Non adspiciamus
 aut ad Hierosolymitanã, aut ad Antiochenã,
 aut ad Constantinopolitanam, aut ad Roma-
 nam Ecclesiam, quæ olim superbe ac perti-
 naciter, de primatu (quem in suis Christus
 non cognoscit) contenderunt. Sed diriga-
 mus oculos mentis in Christianam illam Ec-
 clesiam, quæ per æternum Evangelij verbũ,
 semper crescit & fructificat, quæ in Actis,
 Epistolasq; Apostolicis, Christi spiritu expres-
 sa est, quæ etiam habuit (ut iam habet, ubi-
 cumq;

*cumq; terrarum existat) Apostolos, Prophe-
 tas, Doctores, Diaconos, Episcopos non domi-
 nos, principes & tyrannos. Non credo quem-
 piam dubitare, quin illa Apostolica Ecclesia,
 proximius accedat ad Christum, quam hac
 nostra, sive Latinam dixeris sive Romanam.
 Tam vigilantibus oculis illustris. Dux dispi-
 ciamus, utrum in illa tales ordines, unctio-
 nes, rationes, talia sacramenta, talia tem-
 pla, ara sacrificia, tantum opum, tantus ci-
 borum vestiumq; delectus, tot impia, stulta,
 & impossibilia vota cœlibatus tam impurus
 quam est ipsa impuritas, quæ vel sola in hac
 Romana ecclesia cernimus, fuerint. In hac
 sunt mitra phrygia, auro, gemmisq; onusta,
 in hac baculi, anuli, sandalia auro & ar-
 gento radiantia, ut reliquum illum plus quã
 regium, inter pauperes Christi (quales vi-
 deri volunt) ornatum taceam. In hac tot
 regna, tot sceptrâ, tot gladij exerti & recon-
 diti, tot claves scientiæ & potentiæ, & præ-
 ter hæc omnia, non una, verum triplex coro-
 na, qualem nunquam ullus aut regum aut
 Cesarum gestaverit. In hac tot Sacerdotum,
 monachorum & monacharum sectæ, ut di-
 nume-*

numerari nequeant. Ex quibus nobis prodire, humanorum actuum merita de digno, condigno, de congruo, mera barbarorum sophistarum inventa, quorum (ut hoc obiter dicam) arrogantia, eò provec̄ta est, ut de occulto etiam divine maiestatis iudicio inquirere constantissimèq; adserere & docere, sacris etiam literis contemptim habitis, non erubuerint homines impiissimi. In hac Sacramentorum quorundam adorationes, quas Apostolica illa Ecclesia non novit. In hac sanctorum, ita loquuntur, canonizationes, & invocationes. In illa etiam Stephano, pro Christo lapidato, Iacobo gladio occiso, verè sanctis, per sacras literas, non per Pontificem Romanum adprobatis, solus Christus invocabatur, ille erat advocatus, mediator, propiciator, per illum accessus habebatur ad D E V M. In hac (nescio qui) sacerdotes, quæ sacrificia, pro vivis & defunctis, quæ vigiliæ, memoria, septenaria, tricenaria, anniversaria, lucrosa, profectò murmura. In illa erat, & est, sacerdotium sanctum, sacrificium & obsequium fidei, hostiæ spirituales, acceptabiles D E O per Iesum
 Chri.

sed generis quoque & nobilitate & sanctitate,
 apud exteras nationes celebres erant. Iam
 verò præter ista, DEVS pater, per Dominum
 nostrum IESVM Christum, largitus est tibi
 eam gratiam, ut reiectis varijs & peregrinis
 hominum doctrinis, solis sacris literis: quæ
 possunt omnem hominem instituere ad salu-
 tem, per fidem, quæ est in Christo Iesu, forti-
 ter innitaris & firmiter adhareas. Hinc gra-
 tias agimus DEO patri, & oramus in nomi-
 ne Domini nostri Iesu Christi, ut fidem tuam
 augeat, multiplicet & crescere faciat, ita ut
 neq; à carne, neq; à Diabolo, neq; per Princi-
 pum quorundam (qui Romani tyranni con-
 stitutionibus, Curtisanorumq; feci, proprijs
 commodi causa, favent) quascunq; machi-
 nas dimovearis ab ea quæ in te est fide & cha-
 ritate. Scimus enim quod adversarius noster
 Diabolus circummeat, querens quem devoret,
 scimus quam imbecillem carnem circumfe-
 ramus, Principum nonnullorum Christo con-
 trarios conatus, non ignoramus, Quare vi-
 gilandum & orandum, ne quovis modo à
 Christi doctrina, vel pilum latum, abduca-
 mur. Non terreant Christianum animum

tuum, hostium non tam tuorum, quam Christi,
 mihi, verum ubi has audieris, tum gloriari
 incipe, quod dignus habearis pro Christo,
 qualem qualē mundi contumeliā pati. Ne se-
 ducaris etiam, neque per Philosophiā, neque per
 blandiloquentiam sermonis, neque per multo-
 rum annorum prescriptionem, quæ sunt se-
 cundum carnem, non secundum spiritum,
 semper impij pios prosequuntur. Non est di-
 scipulus super Magistrum. Nusquam Chri-
 stus est, quin & crux adsit, quæ tamen hoc ad-
 scriptum habet: Confidite, ego vici mundum.
 Imminent Illustrissime Princeps, non solum
 tibi, verum etiam omnibus Christianis tri-
 bulationes innumerae, sed tales quæ non
 sunt condignæ, ad futuram gloriam, quæ re-
 velabitur in nobis. Quod enim momenta-
 neum est, ut ille inquit, & leve tribulationis
 nostræ, supra modum in sublimitate æternæ
 gloriæ, pondus operabitur in nobis, qui in vir-
 tute DEI custodimur per fidem, in salutem
 paratam, revelari in tempore novissimo.
 Quid est, quod adversarij crucis Christi in
 nobis potissimum calumniantur? nisi hoc
 unum, quod adserimus secundum scripturas,
 per

Christum; hostie viva, hostie laudis, hostie
 beneficentiae & communicationis, obsecratio-
 nes, orationes, postulationes pro omnibus ho-
 minibus, absq; spe alicuius lucri. In hac securi-
 tas, otium, omnium rerum abundantia, deli-
 cia, voluptates. In illa persecutio, tribulatio,
 angustia, fames, sitis, frigus, nuditas, mille
 genera mortis, quae omnia pugnant cum his,
 quae in Romana Ecclesia vel optima & Chri-
 stianissima putantur. Vides illustrissime atq;
 Clementiss. Princeps, ex hac mediocri Ro-
 mane Ecclesiae, ad illam quae in sacris lite-
 ris descripta est, collatione, quam longè à ve-
 rò Christianismo tot annis abfuerimus? &
 hoc ideo, quia verbum DEI negleximus,
 pro quo iusto DEI iudicio, humana so-
 mnia, hominum doctrinas & mandata,
 iuxta elementa huius mundi, ut Paulus ait,
 & non secundum Christum acceptavi-
 mus, & quia charitatem veritatis non re-
 cepimus, ut salvi fieremus, signis, prodigijs,
 miraculis mendacibus (quae vel propter so-
 lum questum eis semper adhaerentem, suspe-
 cta nobis esse debuerant) acquievimus.
 Tandem itaq; Illustrissime Princeps, iam
 nostra

nostra etate, Evangelio, sola DEI erga nos misericordia, coruscante, curramus ad fontes aquarum vivarum, id est, ad sacras literas, relinquamus lacunas, cisternas, rivusq; turbidos, & pascamus potemusq; nos solo verbo, quod procedit ab ore DEI.

Hoc unum pro meo erga C. T. communemq; patriam amore, oro, atq; etiam (patere queso id pro tua clementia) hortor & admoneo, ut verbum Domini, quantum in te est, per ditionem tuam predicari facias & iubeas. Quod faciendo, pro omnib. beneficijs quæ tibi DEVS Opt. Max. affatim tribuit, facies ei rem (ut initio dixi) longè gratissimam. Opto Celsitudinem, Clementiamq; tuam feliciter in Christo valere.

ILLUSTRISSIMO HESSORUM
Principi Philippo, Gerhar-
dus Noviomagus.

S. P. D.



LIM proavitui Illustrissime Prin-
ceps, non solum armorum gloria,
sed

*per solam fidem que per charitatem opera-
 tur, non nostris meritis nos salvari? Non
 rejicimus bona opera, imò ubi hæc omnia fe-
 cerimus, ex animo dicimus, quod servi in-
 utiles sumus, oramusq; assidue, ut succurra-
 tur incredulitati nostræ, & ut fides in nobis
 augeatur, ut quicquid facimus in gloriam
 DEI faciamus. Apud huius mundi amato-
 res, malè audiunt omnes verè Christiani, nõ
 tam eo nomine, quod Christum, ipsius munere,
 sequi conentur, quàm quod illorum qua-
 stus, luxus & superbia imminuantur. De-
 precor igitur Illustrissime Princeps, ut quod
 facis facias, & induaris armaturam DEI
 ut possis consistere, adversus insidias Diaboli,
 & eorum qui ipsius auspicijs militant. Sta
 succinctus lumbos in veritate (ut vetera-
 nus ille fortissimus Paulus inquit) & indu-
 tus lorica in iustitia, & calceatus pedes in
 preparationem Evangelij pacis, in omnibus
 sumens scutum fidei, in quo possis omnia te-
 la nequissimi ignea extinguere, & galeam
 salutis adsume, & gladium Spiritus quod
 est verbum DEI. Hæc sit armatura tua in-
 terior, Verum si quis improbus, aut bellator,
 aut*

aut raptor, populum tibi, DEI ordinatione
 commissum, per vim conetur opprimere, non
 deerunt tibi arma, quibus tuos defendas.
 Confide in Domino, neq; timeas quid ad ver-
 sum te conetur homo. Ne speraveris in arcu
 & gladio tuo, in Domino enim facies virtu-
 tem, & ipse ad nihilũ deducet inimicos tuos.

Habes Illustrissime Princeps in comitatu
 tuo, doctos & probos viros, qui è sacris lite-
 ris te semper consolari & confortare possunt:
 Nihilominus boni queso consulas hunc meũ
 affectum erga Celsitudinem tuam, quam o-
 pto feliciter in Christo triumphare & vale-
 re. Datum Anno 1526.

F I N I S.

